


DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CONSTITUTIONIS EPIDEMICAE DOCTRINA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CONSTITUTIONIS EPIDEMICAE DOCTRINA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS VAN VOORST,

THEOLOGIAE DOCTORIS EJUSDEMQUE

PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

CORNELIS VAN DER HOEVEN,

ROTERODAMENSIS.

Ad diem XVI. *Novembris* MDCCCXVI. *Horâ* XI–XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM

APUD L. HERDINGH ET FILIUM,

MDCCCXVI.





VITRICO OPTIMO

MARTINO PRUYS,

MEDICINAE DOCTORI, SOCIETATI BATAVAE, QUAE ROTERODAMI EST, ADSCRIPTO, DE SE SUISQUE STUDIIS EGREGIE MERITO,

HOC PIETATIS MONUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

Natura ſui juris est, ac longe latiusque patet, quam ut certos ei fines anguſtosque humani ingenii terminos conſtituamus, extra quos egredi non posſit.

BAGLIVIUS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CONSTITUTIONIS EPIDEMICAE DOCTRINA.



INTRODUCTIO.

Ego cum ſaepius quaererem, quaenam hujus quam profitebor medendi ſcientiae ratio, qui fines, magnamque esſe hac de re inter ipſos medicos deprehenderim disſenſionem, duplicem esſe medicinam cognovi, alteram ab hominum opinione traxisſe originem, a naturae obſervatione alteram. Utrique commune quidem nomen inditum esſe, re vero ipſa maxime esſe disſimiles. Illius, quae ab opinione ducta est, ingenium varium esſe ac mutabile, cum et opinionum magna ſit diverſitas atque multae vicisſitudines. Hanc vero, quae a rerum natura proficiscitur, perpetuam esſe ac conſtantem. Quas cum multi male diſtinguerent, inde factum esſe puto, ut nihil veri, aut certi in arte inesſe, omnia vero falſa ac erronea judicaverint homines, imo ut ipſi artifices minus bene de medicinae veritate ac dignitate ſentire coeperint.

Quae

Quae ſi de altera hypothetica illa vere praedicari posſint, ad veram medendi ſcientiam minime pertinent. „ Haec enim, ut „ BAGLIVII verbis utar, ſi cum hypotheticae ſplendore, fastu et „ magnificentia conferatur, tenuis fortasſe ac contemnenda vide- „ bitur. At in illa nihil vitalis inest, verum mira duntaxat ra- „ morum foliorumque luxuries, ad adſpectum quidem pulchra, „ ſed ſtatim flaccescens, ubi primum eam novitatis gratia atque „ ſuccus defecerit. Haec vero quam modo descripſimus, cum „ non ex rebus fictis commentitiisque conſtet, non ostentatio- „ nis, nec inanis, ſed quae in curandis hominibus ſita est, „ verae gravis, ſolidaeque gloriae cupida, nec ad ostentan- „ dos flores, ſed ad uberrimos et jucundisſimos fructus profe- „ rendos comparata in dies magis magisque crescit ac vegetior „ fit." (1)

Hujus etiam diſtinctionis auctor est Cous ille HIPPOCRATES, quem primum a ſtudio ſapientiae disciplinam hanc ſeparasſe accipimus (2).

Cum enim ſapientiae profesſores imprimis abditas rerum cauſas quaererent, ex his vero et fictis, nescio quibus, elementis quaevis naturae phaenomena, imo morbos ipſos interpretarentur, has quaestiones ad ſanandi artem, quae uſu atque experientia discitur non pertinere judicavit. Atque nostro quidem judicio recte. Utinam vero non aliter judicasſent posteri. Quod niſi fecisſent, neque nos tot ac tantos lugeremus medicorum errores, neque toties de opinionum commentis controverſias agitatas legeremus, et nostris his temporibus audivisſemus ipſi.

Hinc

(1) BAGLIVII *Praxeos Medicae T.* I. *l.* 1. §. VII.

(2) A. CORN. CELSI *Medicina*, in *Praefatione*, *pag.* 3. *Ed.* HALLERI.

Hinc itaque divini illius obſervandi ſtudii a quo illud omne, quidquid veri, aut utilis, aut ſalutaris ars habeat proficiscitur, dux nobis dicatur HIPPOCRATES.

Testantur hujus ſtudii utilitatem dignitatemque, quicumque hujus ad exemplum naturam ducem ſequuti ſunt, ſummi artis magistri. Testantur ſummae atque utilisſimae, quas Hippocraticae arti debemus cognitiones. Testantur denique ipſa, quae nobis reliquit HIPPOCRATES monumenta, quorum, post tot deleta opinionum commenta, ſua manet fides atque auctoritas et ſemper manebit.

Quae cum ita ſint, ea mihi verior videtur medendi ſcientia, quae in naturae fundata est obſervatione, ſincera illa et fideli.

Neque tamen is ego ſum, qui nullum esſe aut rationis, aut philoſophiae in medicina uſum inſanus contendam. Has enim ſi demas, quid artis antistites interesſet et plebem medicam, quid artificem rationalem et illiberalem empiricum. Ecquid ſine his ingenuo ac liberali homine digna haec ars nobis videri posſit, haruspicinae illius artis ſimillima, quae optimorum quorumvis justam quondam movit indignationem.

De ratione autem ſic optime praecipientem audimus BAGLIVIUM: „ Qui rationem cum experientia conflictari volunt, nae illi omnes „ mihi deſipere videntur tam empirici, quam rationales. Quo„ modo enim dici potest omnes rationi partes tribuendas esſe „ ea in disciplina, quae, ut ſapiens quisque fateri debet, longin„ qui temporis uſu, ac periclitatione acquiritur? aut reſpectum „ ad ſolam experientiam habendum esſe et nullo loco rationem „ esſe numerandam; modo rationis nomine non illa vis animi „ intelligatur, quae obscura naturae investigans, inventio et ex„ cogitatio dicitur et magis ad phyſicam pertinet: ſed illa poti-

„ us domina omnium et regina ratio, per quam conſequentia „ videt medicus morborum principia et cauſas conjicit, eorundem „ progresſus eventusque auguratur et ex rebus praeſentibus asſe- „ quitur ac prospicit futuras." (3)

Philoſophiam vero arti utilem esſe, quis negaverit, qui hanc omnium cognitionum matrem agnoverit ac moderatricem, quae omnes artes ac ſcientias communi quodam cognationis vinculo conjungit. Non istam volo male philoſophantium ſapientiam, qua, velut in aegri ſomniis placidis immitia cocunt ac quaevis ponuntur loco non ſuo, quam qui profitentur imaginandi aut fingendi facultatem medicis praecipue excolendam esſe opinantur, quae ad poeſin & oratoriam artem, non vero ad medicinam nobis pertinere videtur, ſed veram illam intelligo philoſophiam, quae, quo pacto auxiliis illis ſenſibus videlicet atque analogico ratiocinio in naturae ſcientia & quae ejus pars est medicina certam comparare posſimus cognitionem, recte docet, cujus quidem optima BACONI illi Verulamio praecepta debemus.

Atque haec quidem mihi videtur rationalis medendi ſcientia, quae aeque ab empiricorum ratione, quam a ſophiſtarum disciplina diſtat, in qua re ſicubi erraverim, id mihi non magno dedecori fore putem cum HIPPOCRATE illo ac BACONE errasſe, neque illud est in me ingenium ſentio aut ejus ſum adrogantiae, ut quam hi artem feliciter colendi viam monſtraverint, hac ego meliorem me inventurum aut ſperem aut credam.

Hinc etiam tam veterum quam recentiorum libros medico pervolvendos esſe existimo, cum ab his rerum ante noſtram aetatem ge-

(3) BAGLIVII *l. l.* §. XII.

geſtarum peti debeat hiſtoria et obſervationum omnis aevi haberi notitia. Sine his enim ſubſidiis parum in arte profecerimus. „ Non enim, uti recte BAGLIVIUS, in humani profecto ingenii „ acumine ſita est ars praeſtantisſima, quam diligens, accurata „ et ſagax notatio naturae atque animadverſio peperit, ſed po- „ tius variis cujusque aetatis doctorum laboribus coacervata ſa- „ pientia dicenda est hominumque multorum mens in unum qua- „ ſi collecta." (4)

Quos cum pervolvamus optimorum naturae interpretum libros certas inde diſcimus leges, quas natura tum prosperae cum adverſae hominum valetudini dixerit. Etenim morbis quoque quasdam leges natura poſuit, uti egregie PLINIUS.

Atque illum quidem maximum in arte habeo, qui tum aliorum cum ſua obſervatione optime has leges tenuerit, quod, quoniam de HIPPOCRATE ejusque veris discipulis, qui naturam obſervandi & interpretandi arte inclaruerunt, vere praedicari posſe opinor, ex Hippocratica ſchola imprimis hanc notitiam comparari posſe crediderim, quam, ut et mihi aliquam compararem, ex horum doctrina ea colligere placuit, quae de Conſtitutione Epidemica obſervaverint, atque inde ſumere disſertationis ſcribendae materiem.

Ast quam vellem memor fuisſem Horatiani illius:

Sumite materiam vestris, qui ſcribitis aequam
Viribus, et verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Non ſero profecto poenituisſet imprudentis quod ceperam conſilii.

Ast

(4) BAGLIV. *l. l.* §. VIII.

Ast fore ut aequos mihi contingant judices ſpero, quae ſi me ſpes ſefellerit, aequo animo illud ferendum putavi. Ego ſatis habeo, non inutilem prorſus mihi fuisſe hunc laborem, quem discendi non docendi cauſa ſuscepi.

Caeterum ſi quibus non injucunda fuerit haec ſcriptio, erit quod mihi gratuler.

Ut quae dicenda ſunt, ordine dicam:

I°. Ipſam conſtitutionis Epidemicae doctrinam variasque Auctorum circa hanc rem ſententias exponere propoſui,

II°. Doctrinae veritatem defendere,

III°. Inquirere, quam habeat ab utilitate commendationem.

Hisce quasdam theſes adjungam circa doctrinae in hac nostra regione uſum.

Prius aut.m, quam praefandi finem faciam, grati animi officium postulat, ut Clarisſimis Praeceptoribus, qui ſalutarem artem me docuerunt, gratias agam, quas posſum, maximas.



CAPUT PRIMUM.

DE DOCTRINA IPSA VARIISQUE AUCTORUM CIRCA HANC REM SENTENTIIS.

Quo hujus doctrinae distinctam magis notionem animo informarem, a prima origine rem ducere proposui, ut quo auctore quibusque temporibus nata, a quibus dein culta quae incrementa ceperit adpareret, utque simul historicam aliquam haberem hujus disciplinae notitiam.

Initium igitur faciamus ab HIPPOCRATE, qui primus, quod quidem nos novimus, hoc studium coluit.

Is enim, quo fuit summo naturam observandi studio, cum perspexisset, variam esse vario tempore morborum rationem, ita ut alios aliae tempestates inducerent morbos, ipsis vero hisce rerum vicissitudinibus certi quid atque constantis subesse cum vidisset, haec diligenter notare, cum illis quae ante eum observaverant sacerdotes medici comparare & inde regulas quasdam condere coepit, quas posterorum in usum scriptis mandavit.

Quaecumque ad hanc rem pertinent in multis, qui Hippocratici vulgo dicuntur libris, consignata sunt, quorum tamen omnium non aequa fides. Ne autem quis credat, nos ex impuris fontibus hausisse, quod et ab eruditis viris factum dolemus, monuisse oportet, iis solis nos usos fuisse, qui omnium interpretum

con

confenfu genuini habentur, *Epidemiorum* fcilicet I. & III., Libro *de Aëre*, *Aquis & Locis* & tandem *Aphorismorum* imprimis *Sectione* III (5).

Caeterum a nobis adumbratam tantum hanc doctrinam esfe monemus. Expresfam ejus effigiem perfectam illam a me juvene imperito atque in hoc fcribendi genere parum verfato, nemo exfpectaverit.

Obfervaverat autem HIPPOCRATES inter caufas morborum, eorum praecipue, qui plures fimul homines exercent imprimis esfe anni temporum vices et in ipfis temporibus magnas aut caloris aut frigoris mutationes, (6) quae cum fub coelo temperato praefertim ad aequinoctium utrumque fieri foleant, et haec legitima morborum popularium natalia cognovit, quibus et plures decumberent et gravius adfligerentur (7).

Quapropter anni tempora obfervanda esfe docet et fiderum ortum et occafum, ex quibus haec a Graecis computari folebant, (8) ut fic cujusque temporis vim perfpectam habeat medicus.

„ Qui artem medicam recta investigatione perfequi volet, is
„ primum quidem anni tempora in confiderationem adhibere de-
„ bet, quid horum quodque posfit. Neque enim quidquam com-
„ mune habent, fed cum inter fe plurimum differunt, tum prop-
„ ter varias quae in eis contingunt mutationes." (9)

Videlicet affinitatem quandam inter quaedam morborum genera et

(5) Cf. K. SPRENGEL *Apologie des Hippocrates* T. I. p. 78. *feq.*, ubi omnia cum genuina fcripta, tum fpuria recenfentur & de Canone Scriptorum HIPPOCR. *pag.* 104. *l. l.*

(6) *Aph.* I. *Sect.* III.

(7) De *Aëre Aquis & Locis Operum Tom.* I. *p.* 288. *Ed.* FOESII.

(8) SPRENGEL *Apol.* II. *pag.* 513.

(9) Lib. *de Aëre etc. pag.* 280. *l. l.*

et ſingula anni tempora agnovit, qua fieret ut alii morbi vere, aeſtate alii, alii autumno, alii denique hieme esſent frequentiores. Sic verno tempore, quo novam quaſi vitam inchoat tota organica, quam vocant, natura, morbos ab orgasmo humorum eorumque motu ad corporis peripheriam, quibus motibus ſaepe critici atque medicati quid ſubest, nasci ſcripſit.

Aeſtate fiunt febres typi varii, ſignis affecti ſystematis gastrici vel incitatae bilis notatae.

Autumno vero, quo tempore ad ſomnum hiemalem ſeſe componit natura, quartanae refractariae & erroneae febres & dyſenteriae &, languente vita, mala chronica multa, hydropes, tabes & coxae dolores & anginae & volvuli & epilepſiae & inſaniae & melancholiae, quae hoc tempore exacerbari ſolent.

Hyeme vero morbi phlogistici generis pectoris inflammationes, tusſes, raucedines, dolores varii et apoplexiae (10).

Haec tamen non ita accipienda ſunt, ac ſi morbi iſti hisce ſolis temporibus invaderent nec aliis, fiunt enim omnes morbi in omnibus temporibus, nonnulli vero in quibusdam ipſorum magis et fiunt et exacerbantur, tumque epidemice regnare ſolent (11).

Quod ſi vero aëris temperies huic illive tempori reſpondens anno quodam praevaluerit, et hujus temporis morbi prae caeteris exercebunt, uti docemur *Aph*, 7. *l. l.* „ Et ſi quidem annus „ pro majori parte talis fuerit, qualem fecerit conſtitutionem, ut „ plurimum tales morbos exſpectare oportet." (12)

Quin

(10) *Sect.* III. *Aph.* 20—23. Cf. SPRENGEL in hos *Aphor. l. l. T.* I. *p.* 256. *ſeqq.*
(11) *l. l. Aph.* 19.
(12) Sic humido praevalente, quos HIPPOCRATES *Aph.* 16. *Sect.* III. temporibus pluvioſis proprios dixit morbos, notatos reperio a Cl. RAMAZZINI *in Epid. rurali Mutin.* 1690. *Opp. p.* 129. *Genev.* 1717.

Quin et quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos exſpectandos esſe monet (13). Et ex hisce quidem temporum anomaliae perſpicitur ratio, de qua egit *Aph.* 11. *et ſeqq. Sect.* III. et Lib. *de Aëre, Aq. et Loc. pag.* 286. *ſeqq.*

Ex anni vero conſtitutionibus in univerſum ſiccitates pluvioſis ſalubriores ſunt et minus lethales (14).

Hanc theſin probare videntur, quae leguntur in *Epidemiorum* I. *Statu* 3.

„ Febres autem ardentes ante ver coeperunt et ad aequinocti-
„ um usque et ad aestatem perſeverarunt.

„ Quos itaque ſtatim ſub ipſa veris et aestatis primordia mor-
„ bus invaſit, plerique omnes ſuperſtites evaſerunt paucique inte-
„ rierunt. Cum vero autumnus esſet pluviaeque impeterent, le-
„ thales erant pluresque peribant."

Porro ſi anni tempora ſuae naturae reſpondeant, ſi conſtantia ſint, nec modum excedant et tempeſtive tempeſtiva reddant, et mites erunt morbi et conſtantes, quodſi vero magnae fiant mutationes, ſi tempora ſint inconſtantia, morbi erunt inconſtantes, graves ac judicatu difficiles (15).

Rem probat 2 *Status Epid.* I. hiſtoria.

„ Ante autumnum in Thaſo tempestates non tempeſtivae, ſed
„ cum multis auſtris et aquilonibus repentinae et humidae pro-
„ rupere. Taliaque ad vergiliarum occaſum usque et ſub vergilias
„ ip-

(13) *Aph.* 4. *l. l.*

(14) *Aph.* 15. *l. l.* Idem confirmat RAMAZZINI, quum, quod annum 1690, cujus conſtitutionem deſcripſit, praeceſſerat, quinquennio prosperam ſatis fuisſe valetudinem ſiccisſima praevalente aëris tempeſtate, post ingentes vero pluvias toto Ao. 1689. & ſequenti ineunte delapſas epidemicam labem tam in vegetabilium gentem, quam in homines ipſos ſaeviisſe notavit *l. l. p.* 122.

(15) *Aph.* 8 *l. l.*

,, ipſas exſtitere. Hyems autem aquilonia, aquae multae, vehe-
,, mentes, magnae nives hisque intermixta ut plurimum aëris ſe-
,, renitas. Atque ista omnia contingebant, nec certe admodum
,, inopportuna erant frigora. Jam vero post brumale ſolſtitium
,, eoque tempore quo ſpirare incipit Favonius extremae hyemis
,, frigora magna fuere, aquilones multi, nives et pluviae conti-
,, nenter multae caelumque cum ventorum turbine nimboſum et
,, nubilum, eaque ipſa non remiſerunt, ſed ſe ad aequinoctium us-
,, que extenderunt. Ver autem frigidum aquilonium, pluvioſum
,, nubilumque, neque admodum aeſtuans aeſtas fuit. Venti anni-
,, verſarii (16) continenter ſpiravere ſtatimque ad arcturum per-
,, flantibus aquilonibus aquae admodum multae.

,, Existente igitur anno toto humido, frigido et aquilonio ad
,, hyemem quidem ut plurimum bene valuerunt, ante ver autem
,, plerique omnes moleste et graviter vitam traduxerunt. Primo
,, itaque lippitudines fluentes, cùm dolore humentes et crudae
,, obortae ſunt, ſordes in oculis concretae (quas lemias vocant)
,, parvae, nec ſine difficultate multis erumpebant, quae cum
,, plurimis revertisſent, tandem ad autumnum reliquerunt. Jam
,, vero per aeſtatem et autumnum ex intestinorum laevitate et
,, torminibus, continuaque et inani egerendi cupiditate laborarunt,
,, alvique fluidae bilioſa, tenuia multa, cruda et mordacia, non-
,, numquam etiam aquoſa dejecerunt. —— ,, Jam

(16) De hisce haec habet TAGLINUS: » In Graecia quae flare ſolent ſtatis tem-
» poribus venti anniverſarii ſive Eteſiae nuncupantur. Fiunt autem, quod ſingulis
» annis in Graecia post brumam usque ad mediam aeſtatem liquescunt nives, quibus
» obſiti ſunt montes, qui per continuatos aliquot menſes nunquam occidente ſole il-
» lustrantur." *De Aëre l.* 2. *Florent.* 1736. et K. SPRENGEL refert, omnem aes-
tatem Archipelagum & Graeciam Corum perflare, hyemem vero omnem Africum
Apol. II. *pag.* 515.

„ Jam quidem ad autumnum et ſub hyemem febres erant aſſi-
„ duae atque eorum paucis quibusdam ardentes, diurnae, noc-
„ turnae, ſemitertianae, tertianae exquiſitae, quartanae erraticae.
„ Atque enumeratarum febrium ſingulae multis oboriebantur, ar-
„ dentes vero omnino paucis iique ex aegrotantibus minime labo-
„ rarunt. At vero tertianae plures, quam ardentes et laboroſiores
„ fuerunt atque in his omnibus rite judicabantur. Quartanae au-
„ tem multis per initia certo et rato quartanae tenore coeperunt,
„ quibusdam vero non paucis ex aliis febribus et morbis ſeces-
„ ſus in quartanas fiebant longaeque his pro conſuetudine at-
„ que interdum etiam longiores contingebant. Sed et quotidia-
„ nae nocturnae et errantes multae diuque plerisque perſeverave-
„ re, tum erectis tum decumbentibus, horumque plurimos febres
„ ſub vergilias et in hyemem usque comitabantur. Multos au-
„ tem ſtatim ab initio praecipueque pueros convulſiones cum fe-
„ bre tentabant, quae etiam febribus ſuccedebant erantque haec
„ plurimis diuturna quidem, innoxia tamen, niſi ſi quibus cae-
„ tera omnia perniciem adferrent.

„ At vero continuae quidem omnino febres erant nihilque in-
„ termittebant, ſed omnes invadebant earum febrium more, quae ad
„ tertianarum naturam propius accederent; uno quidem die levio-
„ res, altero vero vehementiores, omnium quae tunc continge-
„ rent violentisſimae, longisſimae, laborioſisſimae, per initia leves
„ et in totum perpetuo increſcentes, diebus judicatoriis inſultus
„ habebant et in deterius procedebant, quae etiam cum parvam al-
„ levasſent, celeriter rurſus ex intermisſione vehementius invade-
„ bant et diebus judicatoriis magna ex parte deterius affligebant.

„ In his omnibus rigores incompoſite et errabunde continge-

„ bant

„ bant paucisſimique et minimi, verum in caeteris febribus majores et ſudores multi, his vero perpauci nihilque allevantes, ſed contra noxiam adferentes. His magna extremorum perfrictio, quae vix etiam recalescerent. Neque penitus pervigiles erant, maxime vero hi etiam vicisſim ſopore gravabantur. Alvi omnibus quidem conturbatae erant maleque adfectae, istis vero multo pesſimae. Horum autem plurimis urinae aut tenues erant crudaeque et decolores, aliquantoque post intervallo nonnihil concoctae, non ſine judicatoriis ſignis, aut crasſitudine quidem praeditae, verum turbidae, nihil conſiſtentes, aut ſubſidentes, neque concoctae, aut paucae, vitioſae, crudae, ſubſidentes et in ſumma pesſimae omnes. Tusſes quidem febres comitabantur, ſed neque quam utilitatem aut noxiam tunc tusſis attulerit licet ſcribere. Diuturna itaque et difficilia haec erant valdeque incompoſite et errabunde atque citra ſolutionem horum plurima tum his qui exitialiter valde, cum his qui nequaquam ita ſe haberent permanebant. Si quibus enim aliquantulum intermitterent, in iis celeriter reverſiones faciebant. Est ubi quibusdam iisque paucis ad octogeſimum diem cum brevisſime judicatione ſolverentur, nonnullis repeterent, ut etiam in hyemem eorum plurimi aegrotarent. Plerosque vero omnes absque judicatione deſerebant. Haec autem tum his qui ſuperſtites erant, tum iis qui moriebantur ex aequo contigerunt.

„ Cumque multa eaque varia esſet in morbis judicationis cesſatio, maximum ſane et pesſimum ſignum plerosque omnes ad extremum proſecutum est, quod cibos omnes averſarentur iique maxime qui caetera quoque exitialiter haberent. In his vero febribus non admodum inopportune ſiticuloſi erant. Longo

„ autem progresſu temporis, cum et labores multi malaque corpo„ris extenuatio fieret, his humorum ſecesſus aut viribus ſupe„riores aut minores, quam ut prodesſent quicquam, ſuccede„bant, ſed qui confestim intro recurrerent et in deterius con„tenderent. Atque his aderant inteſtinorum tormina crebre et „inanes egerendi cupidines inteſtinorum levores et alvi fluentes „nonnullis etiam aqua inter cutem cum ejusmodi enumetatis „caſibus, aut ſine his contingebat. Ex his vero quicquid vio„lenter urgebat, aut ſtatim e medio tollebat, aut nihil con„ferebat. Papulae parvae, quae nec ſatis prodignitate morbo„rum excretioni reſpondebant, ſed celeriter disparebant, aut „aurium tumores oboriebantur, qui ſenſim et ſine ulla ſignifica„tione evanescebant. Nonnullis ad articulos praecipueque ad „coxendicem decumbebant, paucis decretorie deſinebant, ſed ce„leriter rurſus pristinum habitum asſequebantur."

Hunc locum eo lubentius excerpſi, quod non tantum morborum, qui in intempestiva tempora incidant rationem declaret atque inconſtantem et ἄκριτον indolem, verum et effectus frigidi humidi in hac temporum inconſtantia praevalentis oſtendat, quaecum noſtris quoque autumnis ſolita ſit temperies, conſtitutionis noſtrae autumnalis nobis quandam imaginem praebet, ab HIPPOCRATE delineatam.

Huic adjungere liceat et aliud inſolitae tempeſtatis exemplar, quo ſimul quid calidum humidum posſit docemur (17).

„ An-

(17) *Status* 2. *Epid.* III. Sunt qui putant, titulo forſan in errorem ducti, qui tamen ſuſpectus fuit Galeno, hic non modo pestilentiam proprie dictam, ſed illam etiam ipſam, quae ea aetate Athenas pervaſit deſcribi. Sed quanto ii in errore verſentur cum alias, tum hinc maxime percipi posſe, adſirmat Cel. Freindius, ſiquis cum Thucydide, qui peſtem Athenienſem literis mandavit, hunc Hippocratis locum contulerit: nam utrisque perlectis, quod quidem ad morbi ſpeciem pertineat, nihil quicquam

,, Annus auſtrinus imbribus abundans atque in totum a ventis
,, tranquillus fuit. Quum autem paulo ſuperioribus anni tempo-
,, ribus justo majores ſiccitates viguisſent, ſub arcturum (18)
,, ſpirantibus auſtris multum pluit. Autumnus obſcurus, nebulo-
,, ſus cum aquarum abundantia, hyems auſtrina, humida & levis.
,, Longo vero post ſolis converſionem intervallo juxta aequinoc-
,, tium extremae hyemis frigora adſuerunt jamque ſub aequinoc-
,, tium ipſum aquilonares venti cum nivibus non ita diu ſpiravere.
,, Ver rurſus auſtrinum, a flatibus quietum, aquae multae & con-
,, tinentes ad canem usque.. Aeſtas ſerena, calida. Anniverſarii
,, venti. Eteſias vocant, pauci disjunctim ſpiravere. Sub arcturum
,, rurſus ſpirantibus aquilonibus aquae multae. Exiſtente igitur toto
,, anno auſtrino, humido et leni, hyeme quidem ſalubriter age-
,, bant, praeter tabidos de quibus mox ſcribetur. Ante ver autem
,, una cum frigoribus conſecutis ignes ſacri, partim quidem aliqua
,, de cauſa, partim ſine contingebant atque hi maligni quidem mul-
,, tos ſustulerunt. Multi ex faucibus laborabant, voces vitiatae
,, erant, febres ardentes una cum phrenitide, ſerpentia oris ulcera,
,, pudendorum tubercula, lippitudines, carbunculi. Alvi pertur-
,, batae, cibos averſabantur et hi quidem partim ſiticuloſi, par-
,, tim ſine ſiti erant.

,, Urinae turbulentae, multae, malae reddebantur. Sopore utplu-
,, rimum detinebantur, rurſusque pervigiles. Morborum ſolutiones
,, pror-

quam inter eos commune esſe videbit. Imo facile ſentiet, pestis illius historiam ita parum ab Hippocrate esſe pertractatam, ut is nulla quidem de peste his in libris ſermonem habuerit. v. HIPPOCR. *Epid.* I. *et* III. a FREINDIO ſeparatim. editos. *Lond.* 1717. *pag.* 119. Cf. et *pag.* 79. *ibid.*

(18) Id est circa Septembrem menſem medium. De Graecorum anni tempora computandi ratione Cf. SPRENGEL *Apol.* II. *pag.* 513. *et ſeq.*

,, prorſus nullae partimque difficiles, aquae inter cutem, tabidi
,, multi. Atque hi quidem morbi populariter vulgabantur. ——

,, Nonnullis autem etiam inter curationes ipſas magnae inflamma-
,, tiones contingebant multusque ignis ſacer celeriter ubique popu-
,, labatur. Horum igitur plurimis abſcesſus ad ſuppurationes ver-
,, tebant, carniumque et osſium ac nervorum ex decidentia mu-
,, tilationes magnae fiebant. Neque vero contracta fluxio puri erat
,, affinis, ſed aliud quoddam putredinis et fluxionis multae ac va-
,, riae genus (19). ——

,, Longe igitur plurimos ſacer ignis verè appetivit, qui et per ae-
,, ſtatem et ſub autumnum conſequebatur. Magna vero perturbatio
,, quibusdam inerat et ad fauces tubercula, linguaeque inflammatio-
,, nes et quae ſecundum dentes abſcederent. Multisque vocis vitiatae
,, et praepeditae facta est ſignificatio, potisſime quidem his qui ta-
,, beſcere coepisſent atque etiam febre ardente detentis et phreniticis.

,, Coeperunt itaque febres ardentes et phrenitides ante ver,
,, post ea quae praecesſerunt frigora plurimique tunc diu con-
,, flictati ſunt. Erat autem febrium ardentium quae obvenerant
,, conſtitutio hujusmodi. Per initia ſopore detinebantur cum ſto-
,, machi fastidio et horroris ſenſu, febris acuta, neque magnopere
,, ſitiebant aut delirabant. Ex naribus paucus ſtillavit ſanguis.
,, Plurimos accesſiones diebus paribus invadebant. Atque ſub ipſas
,, accesſiones oblivio, membrorum exſolutio et vocis defectio
,, con-

(19) Miror ſagacem HIPPOCRATIS diligentiam, quippequi non tantum corporum temperies variosque inde ſub vario caelo morbos accurate notaverit, verum etiam ad ea quas quae prima fronte minutiora videntur attendit animum, neque eandem esſe puris ſecreti conditionem, ſed variam pro corporibus diverſimode affectis probe perſpexit. Jure igitur optimo quondam dixit CAJUS PLINIUS, non minus ingenioſam fuisſe antiquitus obſervationem, quam nunc rationem Vid. *Hiſt. Nat. l.* 18. *c.* 29.

,, contingebant. His quidem pedes ſummi et manus frigidiores ,, evadebant, multoque maxime circa accesſiones: deinde vero ,, lente nec probe recaleſcebant rurſusque ad intelligentiam redi- ,, bant et loquebantur. Eos autem aut perpetuus ſopor non ſom- ,, nolentus detinebat, aut vigiliae cum laboribus. Horum pleris- ,, que alvus retrimentis crudis, tenuibus multis turbabatur. Uri- ,, nae multae tenues, neque judicatorii, neque boni quicquam ,, habebant. Neque aliud quicquam in ita affectis decernebat, ,, neque enim rite ſanguis e naribus profluebat, neque aliud quic- ,, quam eorum, quae abſcedere nata ſunt judicatione tentabatur, ,, moriebaturque unusquisque, uti ſors ferebat, vago et incerto or- ,, dine, plerumque circa judicationes, quidam vero longius pro- ,, ducti cum vocis defectione, nonnulli etiam cum ſudoribus. ,, Quae quidem his qui perniciose haberent, contingebant. Quin ,, et ſimilia phreniticis fiebant. Atque hi omnino ſine ſiti erant. ,, Neque phreniticorum quispiam vehementer inſanivit, ſicut in ,, caeteris uſuvenire ſolet, ſed ex mala alia quadam et languida ,, in ſomnum degravatione graviter peribant.

,, Aliae inſuper etiam febres viguerunt de quibus mox ſcribe- ,, tur. Multis os ſerpentibus ulceribus affectum ulceroſumve fuit, ,, fluxiones ad pudenda multae, exulcerationes, tubercula intus et ,, extra circum inguina. —

,, Carbunculi aeſtate multi atque alia quae putredinis nomine ,, donantur, puſtulae magnae, ſerpentia ulcera plerisque magna. ,, Quantum autem ad alvum ſpectabat, plerisque circa eam multa ,, et noxia evenere. Primum quidem crebrae et inanes egerendi ,, voluntates multis moleſtae, imprimis vero pueris atque iis om- ,, nibus, qui pubertatem nondum attigerant eorumque plurimi pe-

„ ribant. Multi intestinorum laevitate vexabantur, quidam difficul-
„ tate intestinorum, neque hi admodum moleste. Alvus autem
„ biliosa et pinguia et tenuia et liquida demittebat, ac multis
„ quidem eo morbus ipse decubuit, tum circa febres, tum in
„ febribus. Tormina cum doloribus aderant itemque convolutio-
„ nes malignae. Multis in corpore existentibus ac suppressis exi-
„ tus. At neque exeuntia dolores tollebant. Atque ad ea quae
„ adhibebantur non facile habebant. Purgationes nempe plurimos
„ magis offendebant. Eorum vero qui ita habebant plerique qui-
„ dem subito moriebantur, multi etiam diutius perdurabant. At-
„ que ut semel absolvam, tum qui diuturnis, tum qui acutis tenta-
„ bantur morbis ex ventris vitio omnes fere periere. Omnes nam-
„ que venter pariter sustulit. Omnes autem in quos sane incidi,
„ ob praescriptos omnes morbos quibus vexabantur, cibos equidem
„ aversabantur. Plerique vero praecipueque hi ipsi et qui eodem
„ modo affecti erant, sed et ex aliis qui etiam perniciose haberent.
„ Siticulosi partim quidem erant, partim vero siti vacui. ——

„ Urinae autem copiosae prodibant neque potioni ingestae re-
„ spondebant, verum plurimum superabant, multumque etiam
„ vitiosae erant urinae redditae. Nam neque crassitudinem neque
„ concoctionem habebant, neque probe expurgabantur. In mul-
„ tis namque probae per vecicam expurgationes bono sunt. Plu-
„ rimis vero colliquationem perturbationemque et dolores et mo-
„ ram et judicationis cessationem portendebant. Sopore autem de-
„ tinebantur, imprimis quidem phrenitici et qui febre ardente
„ laborabant, quin etiam caeteris in omnibus maximis morbis,
„ quod cum febre contingerent. Omnino vero plerosque aut gra-
„ vis sopor comitabatur, aut tenues et parvi somni.

„ Mul-

„ Multa alia praeterea pasſim vulgata ſunt febrium genera, tertianae, quartanae, nocturnae, asſiduae, diuturnae, incertae et vagae, implacidae, inconſtantes. Atque hae omnes non ſine multa perturbatione contingebant. Plerisque etenim alvus cum horroris ſenſu turbabatur, ſudores nihil decernebant, urinaeque quales ſupra deſcripſimus. Eorum vero plerisque haec erant diuturna. Neque enim decernebant quae iis ipſis abſcedebant, quod caeteris uſu venire ſolet. Omnino quidem omnibus difficiles erant judicationes, aut nullae, aut diuturnae, his vero quam maxime. Atque horum pauci circa octogeſimum diem judicatione abſolvebantur, magna autem ex parte iis temere defecerunt. Horum autem pauci ex aqua inter cutem moriebantur erecti et ſtantes. Plerosque vero etiam praeter alios morbos tumores exagitabant, ac prae caeteris tabidos. Maxime autem et gravisſime afflixit tabes, plurimosque interemit. ——

„ Erat autem tabidorum ſpecies ex iis qui glabri erant, ſubalbidi, lentis colorem referentes, ſubrubri, caeſiis oculis pituita alba redundantes, et quibus ſcoptula operta alarum inſtar a tergo extabant atque prominebant, mulieresque eodem modo ſe habebant. Itidem et qui ad atrem bilem generandam esſent idonei et ſubſanguinei. Atque hos febres ardentes et phrenitides, et inteſtinorum difficultates tentabant. Juvenes crebrae et inanes egerendi cupiditates, pituitoſos longa alvi profluvia, acria et pinguia ventris recrementa bilioſos vexabant. Omnibus autem quos paulo ſupra deſcripſimus, ver quidem erat moleſtisſimum plurimosque ſuſtulit. Aeſtas vero placidisſima minimeque multi perierunt. Per autumnum rurſus et ſub vergilias multi interierunt quartana febre detenti."

 Sum-

Summam quoque ventorum rationem habuit, a quibus multos morbos oriri credidit. Ita *Aph.* 5. *Sect.* III. „ Austri auditum „ gravantes caliginoſi, caput gravantes, ſegnes, disſolventes. Quum „ hic dominatum tenuerit, talia in morbis patiuntur. Si vero „ aquilonium fuerit anni tempus, tusſes, fauces asperae, alvi du- „ rae, urinae difficultates, horrores, dolores costarum, pectorum. „ Quum hic dominatus fuerit talia in morbis exſpectare oportet." Et *Aph.* 17. ibid. „ Quotidianae autem conſtitutiones aquiloniae „ quidem corpora compingunt, et robusta et facile mobilia et „ bene colorata et melius audientia faciunt, et alvos ſiccant, et „ oculos mordent, et dolorem circa thoracem, ſiquis praeexiſtat, „ majorem faciunt. Austrinae vero corpora disſolvunt et hume- „ ctant et auditus graves et capitis gravitates faciunt et vertigi- „ nes in oculis et corporibus motum difficilem et alvos hu- „ mectant (20)."

Scilicet Inſulae Aegaei maris, in quibus artem imprimis fecit HIPPOCRATES, ab Austris aestus Africae et humidos maris vapores et pluvias accipiebant, ab Aquilone vero montes Thraciae peragrante magna frigora (21).

Eodem conſilio regionum ſitum deſcripſit in egregio illo de *Aëre*, *Aquis et Locis* libro, cum vidisſet morbos differre, prouti hac

(20) Noxiam hanc Auſtri in ſenſuum inſtrumenta potestatem a poſitivae, quam dicunt, electricitatis defectu interpretatus est SPRENGEL. Hunc enim ventum, cum in Graeciam ab Africae deſertis venit, ſtagnanti aëri ſimilem dixit. Quod, ſi ad egregiam electricitatis vitae motus incitandi facultatem attendamus, multis experimentis probatam, vero haud disſimile est. Utrum vero illius, quod ſentire dicimus, quantum a nervis ſtat, remotior cauſa fluidum electricum habendum ſit, ut SPRENGEL aliique perhibent, an alia quaevis, opinatores dijudicent. v. *Apol.* I. *pag.* 233. *ſeq.*

(21) Cf. K. SPRENGEL *l. l. pag.* 236.

hae calidis aut frigidis ventis patent (22). Regionem calidis ventis expofitam, fi humida tempestas accedat, morbos diuturnos ulceraque exedentia producere: viros ibi pituita abundare, feminas laborare laxitate, fluore albo et crebro abortu, raros esfe morbos acutos inflammatorios. In regionibus frigidis ficcisque ventis expofitis, ftricta corpora ad morbos magnos acutos et inflammatorios disponi ac faepius illis corripi. Temparatam vero regionem neque calore, nec frigore excedentem paucos morbos parere eosque calidarum regionum morbis fimiles.

Porro cum praegresfi temporis magna potestas folet esfe in fubfequentium morbos, non folum interest fcire quales dies fint, fed et quales praecesferint (23).

Ita *Aph.* 11. *S.* III. monet, post hyemem ficcam et aquiloniam ac ver pluviofum et australe, aeftate febres acutas fieri et ophthalmias et dyfenterias maxime mulieribus et viris natura humidis; et *Aph.* 13. ibid. aeftatem ficcam et aquiloniam, autumnum vero pluviofum, ad hyemem infecuturos esfe capitis dolores et tusfes et raucedines et gravedines, in quibusdam etiam tabem.

Quam autem morbis cum anni tempestatibus obfervaverat cognationem, eam et his cum variis corporum naturis et aetatibus et fexu reperit. Docet enim naturarum alias ad aeftatem, alias vero ad hyemem bene aut male esfe conftitutas (24).

Tempestate humida homines phlegmaticos maxime affici et femi-

(22) *Opp. T.* I. *pag.* 281. *Ed. Foësii.*

(23) Ad hunc locum etiam pertinent haec Cel. RAMAZZINI (*l. l. pag.* 125.) » Quamvis ergo hyems adeo intempeftiva fuerit, nihil tamen contigisfe fcio, quod ad » medicam lancem trutinari debeat, neque id mirum, nam tunc temporis cudebantur » morbi, fuo tempore (verno fcilicet) et loco erupturi." ——

(24) *Aph.* 1. *et* 3. *Sect.* III.

minas, quippe quae humidioris naturae esse solent. His enim major ad plethoram proclivitas et major quoque systematis lymphatici evolutio (25). Siccam autem tempestatem cholericis adversam, phlegmaticis vero et feminis prosperam esse (26). Atque de aetatibus, vere quidem et prima aestate pueros et his aetate proximos optime degere ac maxime sanos esse; aestate vero et autumno ad aliquam quidem partem senes, reliquo autem autumno et hyeme qui medii sunt aetate (27).

Solent autem, si tempestiva sint tempora, certa quadam lege sibi invicem succedere morbi Epidemici ac Constitutiones, quae vices cum sub temperato maxime Graeciae coelo constantiores viderit Hippocrates, quam in nostris regionibus observantur, haud mirum est, ipsum temporum notitiam suo pretio aestimasse ad morborum cognitionem et artis sanandi exercitium.

Verum et ipsa hac constitutionum et morborum popularium successione, optimum his ipsis natura comparavit remedium, uti docemur constitutione illa, cujus in 2. *Statu Epid.* III. sit mentio. Hanc enim humidam valde et morborum feracissimam insecuta est aestas fervida quidem, ast simul serena et siccissima, qua Epidemiae vis haud parum fracta fuit. Sed ipsum audiamus naturae interpretem simplici at eleganti sermone hanc rem illustrantem. „ Mihi porro videtur aestas illa merito multum profuisse. „ Aestivas namque morbos succedens bruma solvit et brumales „ adveniens aestas dimovit. Quanquam quae tunc fuit aestas ex „ se-

(25) ROUSSEL *Systeme Physique et Moral de la Femme*, *Chap.* V. *p.* 37. *et suiv.*
(26) *De Aëre, Aquis et Locis Opp. T.* I. *p.* 287. *seq.*
(27) *Aph.* 18. *Sect.* III.

„ ſeſe non ſatis ſuae naturae conſtabat, verum derepente calida,
„ austrina et ventis ſilens fuit, nihilominus tamen ad aliam tem-
„ poris conditionem mutata profuit."

Neque his ſinibus hujus obſervationis in arte ſanandi utilitatem circumſcripſit HIPPOCRATES, verum et ſumma inde Diaetetices atque Therapeutices praecepta petenda esſe docuit. Alio enim tempore pleniore, alio pauciore cibo utendum est. Ventres hyeme et vere natura ſunt calidisſimi et ſomni longisſimi. In his igitur temporibus etiam alimenta plura adhibenda. Innatum enim calorem majorem habent. Nutrimento igitur copioſiore indigent (28). Et *Aph.* 18. *Sect.* I. De diaeta in morbis acutis monet, aeſtate et autumno cibos difficillime ferre aegrotantes, hyeme facillime, dein vere. Nec eadem omnibus temporibus apta est medicina. Purgandum enim aeſtate magis ſuperiores ventres, hyeme vero inferiores (29). Quod quidem praeceptum quanti ſit uſus, facile intelligimus, ſi ad numeroſam illam quam aeſtas profert bilioſarum febrium familiam animum advertimus, quae nullo modo felicius, quam emeſi profligantur (30).

Imprimis vero in remediis exhibendis maximae anni temporum mutationes obſervandae ſunt, quae tum Solſtitiis, cum praecique Aequinoctiis fieri ſolent (31). Quinetiam, qui futura in morbis praeſentire cupiat, morborum ſemper vulgariter grasſantium impetum et tempestatis conditionem cito animo concipere oportet (32).

Hoc autem conſtitutionum et popularium morborum ſtudium, quan-

(28) *Aph.* 15. *Sect.* I.
(29) *Aph.* 4. *Sect.* IV.
(30) De hisce infra videbimus ubi de Doctrina Stolliana dicendum erit.
(31) *De Aëre etc. pag.* 288. *l. l.*
(32) *Prognost. Opp. T.* I. *pag.* 46. *ap. Foëſium.*

quanti fecerit HIPPOCRATES, vel ex iis colligere licet, quae in fine *Lib.* III. *Epid.* legimus. „ Per vero magni in arte aestimo, posse „ de iis quae scripsimus cogitationem recte suscipere. Eorum „ namque usum qui callucrit, is mihi non magnopere videtur in „ arte aberrare posse. Exacte autem tenere oportet et propriam „ cujusque temporum anni conditionem et statum morbumque „ ipsum et quidnam boni commune sit constitutioni cum morbo, „ quidnam et mali constitutio aut morbus inter se commune ha„ beant (33)."

Neglecta jacuit per multa secula, quam fundaverat Cous senex doctrinam, atque inter continua medicorum de opinionum commentis certamina intermissum fuit penitus naturae illud observandi studium, quod hic egregio suo exemplo posteris commendaverat, nec nisi excusso Scholasticorum atque Arabum jugo medicina libere coli caepit atque ex ipsis fontibus veterum disciplina peti.

Primus autem qui inchoatos hos labores Hippocraticos in se suscepit, fuit GULIELMUS BALLONIUS Lutetiae Parisiorum, quae schola tunc maxime floruit, Medicinae Professor, qui scriptis mandavit historiam Epidemiarum, quae ab A°. 1570 ad A^um^. 1578 in hac urbe grassatae sunt. Is quidem Hippocraticas observationes suis confirmavit illustravitque ac vel eo optime de disciplina medica meritus est, quod et haec ingenii Hippocratici monumenta oblivioni tradita revocaverit. Quamvis eruditionis atque in obser-

(33) Quaenam autem Nostro του θειου, quod in morbis inesse dixit (*Progn. l. l. p.* 36.) fuerit significatio, de eo non conveniunt interpretes. GALENUS illic το θειον exponit morborum populariter grassantium generationem, quae ex aëris conditione petitur intelligens, aut siderum cognitionem, quae multum facit ad morborum praedictionem et totius anni constitutionem praenoscendam. FOESIUS *in Oecon.* HIPP. *Opp. T.* II *p.* 163. Cf. BALLONIUS *Epid. l.* 1. *p.* 2. *Opp. T.* I. *Ed.* TRONCHINI.

ſervando diligentiae laude magis quam ingenio conſpicuus fuerit, (34) quin tamen K. SPRENGELIO de ipſo judicium ferenti plane adſentiar, vetant viri merita, vetat aequitatis et humanitatis officium, quod et in republica literaria ſumma lex est (35).

Majora tamen quam BALLONIUS praeſtitit SYDENHAMIUS ille, alter Hippocrates cui et obſervandi ſtudio et ingenii illis dotibus, quae in medico artifice praeprimis requiruntur, parem vix quenquam inveneris, ſuperiorem vero neminem. Hic inter Chemicorum et Mathematicorum bella natus (36) neutris partibus ſe addixit. Probe enim intellexit, non de veritate, ſed de opinionum commentis certari, unde arti parum commodi, detrimenti plurimum oritur.

„ Ad praxin medicam, inquit (37), cum accesſisſem, mox in
„ eam veni ſententiam, quae mecum ad hodiernum usque diem cre-
„ vit; hanc ſcilicet artem haud rectius perdiscendam esſe, quam ab
„ ipſius artis exercitio atque uſu, veroque admodum esſe ſimile,
„ quod

(34) Cf. CABANIS *Revolutions de la Médecine pag.* 162.

(35) K. SPRENGEL, *Verſuch einer Pragmatiſche Geſchichte der Arzneykunde* V. *Th. pag.* 423. Si cui haec temere ſcripſiſſe videar, evolvat quaeſo, quae de Phlebotomiae uſu caute circumſcribendo habet Auctor, nec non de pleuritidis verae ac ſpuriae differentia et huic adcommodata medendi methodo *T.* I. *pag.* 64—66, *pag.* 72 *ſeq. pag.* 121, 150, 166, 170; videatque, num et ſanguinariae medicinae et falſae ſpuriarum inflammationum diagnoſeos reus ſit. Sed ipſe cauſam dicat: » Quum quis, » ſic habet *pag.* 120, laborat dolore lateris nullus non magnus medicus est, imo » barbitonſor hac in re egregius magister est. Secatur vena, demitur liberaliter ſan» guis, ſi quid vitii in ſuperficie habeat iterum ſecandi capitur occaſio." et *pag. ſeq.* » Conſiderare hoc oportet, quoniam non fiat ſanguis, niſi post multas casque difficiles mutationes, carnificis est non autem medici ita liberaliter et parva de cauſa venam » aperire, quum ſanguis naturae theſaurus ſit atque amicus." Caeterum dandum quid ſuo quo vixit tempori, dandum quid naturae humanae, ſicubi erraverit, quod in priore a SPRENGELIO allato caſu factum dolemus.

(36) Cf. SPRENGEL *l. l. pag.* 460.

(37) *Ep. Dedicat. Opp. ſuis praefixa pag.* 4. *Ed. Leid.* 1726. *in* 8*vo.*

„ quod qui ad naturalia morborum phoenomena oculos animumque accuratisſime maximeque diligenter adverterit, in eliciendis „ curativis indicationibus veris ac genuinis maxime pollere debeat. „ Huic itaque me methodo totum tradidi ſatis ſecurus, quod naturam ſi ſequerer ducem etiam avia terrarum peragrans loca nullius ante trita ſolo, nunquam vel latum unguem a recto tramite diſcederem." Et hanc methodum ſequutus illud imprimis egit, ut quam diligentisſime obſervando naturae leges in morbis producendis, mutandis, ſanandis, tum cujuscumque morborum ſpeciei diſtinctam haberet notionem, tum, quonam ordine variae hae ſpecies ſeſe excipiant, rite cognoſceret. „ Aequabilis enim adeo, „ ait (38), et ubique ſimilis est naturae ordo in producendis „ morbis, ut in diverſis corporibus eadem plerumque reperiantur „ ejusdem morbi ſymptomata, ac illa ipſa quae in SOCRATE aegrotante obſervata fuerint, etiam generaliter ad hominem quemcunque eodem morbo laborantem transferri posſunt; non ſecus „ ac univerſales plantarum notae ad omnia cujuscunque ſpeciei „ individua rite ſe diffundunt. —— Et quidem existimo, nos ob „ eam potisſimum cauſam ad curatiori morborum historia ad hunc „ usque diem deſtitui, quia ſcilicet plerique eos pro confuſis inconditisque naturae male ſe tuentis et de ſtatu ſuo dejectae effectis tantum habent ac proinde laterem lavare crederetur is, „ qui justam eorundem enarrationem moliretur." Summum vero naturae ordinem in ſucceſſione morborum his verbis laudat (39): „ Denique anni tempeſtates diligenter obſervandae ſunt. Non inficior nonnullos esſe omnium horarum, alii tamen nec paucio-

„ res

(38) *l. l. Praef. pag.* 17. *ſeqq.*
(39) *Ib. pag.* 16. Cf. *pag.* 23.

„ res occulto quodam naturae instinctu annorum tempora non
„ secus, quam quaedam aves aut plantae sequuntur.

„ Saepe quidem subiit mirari hoc morborum quorundam in-
„ genium satis obvium a paucis tamen hactenus fuisse observatum,
„ cum quo sidere stirpes aut pecudes solemniter procreentur plu-
„ rimi curiosius adnotarint. Sed quaecumque sit hujus oscitatio-
„ nis causa, pro certo statuo, tempestatum in quibus aegritudi-
„ nes ingruere consueverunt notitiam multum medico prodesse,
„ tam ad speciem morbi dignoscendam, quam ad ipsum mor-
„ bum extirpandum, atque horum utrumque minus feliciter evenire,
„ ubi istiusmodi observatio negligitur." Egregie eandem hanc
rem probat *p.* 24. *l. l.* „ Et profecto haud minus se natura
„ methodo adstringit in his tum producendis, tum maturandis, quam
„ in plantis sive etiam animalibus. Quinimo ut cuilibet sive plan-
„ tae, sive animali proprii quidam ac peculiares affectus compe-
„ tunt, ita se res habet in qualibet succi cujuscumque exalta-
„ tione, ubi semel in speciem proruperit. Exemplum hujus rei sa-
„ tis luculentum quotidie nobis ingerunt et ob oculos ponunt
„ variae istae excrescentiarum species, quas arbores fruticesque emit-
„ tunt, vel ob succi nutrititii perversionem et depravationem,
„ vel alias ob causas in forma scilicet musci, visci, fungorum
„ aliorumque id genus, quae omnia essentiae sunt, sive species
„ a parente sive arbore, sive frutice diversae plane atque distinc-
„ tae. Et sane qui serio atque ad amussim pensitaverit φαινόμενα
„ illa, quae febrim v. gr. quartanam comitantur; quod videlicet
„ semper sub autumno ingreditur, quod certum ordinem ac ty-
„ pum ubique servat, revolutiones periodicas quarto quoque die
„ non minus certo repetit, quam suas repetit horologium, sive

„ aliud quoddam ejusmodi ἀυτόματον (nisi ab accedente aliquo ex-
„ trinsecus adveniente hic ordo perturbetur) quod cum rigore
„ ac notabili frigoris sensu adgreditur, quem excipit caloris per-
„ ceptio non minus sensibilis, quae tandem in sudore effusissima
„ terminatur, quod denique morbus hic quemcumque demum in-
„ vaserit, vix ante vernum aequinoctium abigi poterit et fugari,
„ qui haec, inquam, omnia pensiculatius trutinaverit, haud minus
„ firmis rationibus inducetur, ut credat morbum hunc speciem esse,
„ quam sunt illae ob quas credat, plantam esse speciem, quae
„ parem semper ad normam e terra nascitur, floret interitque
„ atque in reliquis afficitur pro ratione essentiae suae. &c."

Haud levis res mihi videtur SYDENHAMI interpretatio, qui cum in hisce studiis atque in hoc scribendi genere, ipse sibi dux et auctor fuerit, peculiare quid habet sibique soli proprium, ad quod nisi animum attenderis, vix ejus mentem capere poteris. Atque hinc factum esse arbitror, quod multi orationis colore atque vestitu ab ipsis quae subsunt sententiis male distincto, culparint quem non intellexerant SYDENHAMUM. Equidem lubenter fateor, hunc mihi semper maximopere placuisse, atque uti grave fert animus illatam amico injuriam, ita et ego commoveor, ipsum cum videam multa ab iniquis et imperitis judicibus injuste pati.

Prius autem quam, quid de Epidemica Constitutione senserit, tradam, res mihi paulo altius repetenda videtur.

Quod de HIPPOCRATE quondam vere adeo praedicavit BAGLIVIUS, cum naturae non hominis voce locutum esse, de SYDENHAMO etiam affirmari posse crederem, qui cum naturae observationi totus se dedisset, ex hoc fonte omnem circa rem medicam cognitionem petivit, quam incomta et simplici oratione posteris tradidit.

Hanc

Hanc ex naturae fonte originem declarant quaecumque de morborum genesi, natura, differentiis et sanatione scripsit. „ Dictat ratio, sic opus suum exorditur, morbum nihil aliud esse, nisi „ naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri „ salutem molientis."

Ex ipsa autem corporis conditione, qua illud aptum est ad suscipiendas varias a rebus externis mutationes, proficiscitur aegrotandi facultas. Sed et suae sunt naturae humanae vires medicatrices; quibus ad suam salutem propugnandam utitur. Ecquid ipsa pestis, malignum saepe morbi genus, aliud, quam symptomatum complicatio, quibus utitur natura ad inspiratas cum aëre particulas μιασμώδεις per emunctoria apostematum specie vel aliarum eruptionum opera excutiendas (40). Jam vero hoc munere nunc celerius fungitur natura, nunc vero tardius, pro varia methodo qua causam morbificam expellere nititur. Nam cum febris opem deposcit, motu partium violentiore res omnis peragitur, atque hujusmodi plane sunt morbi quos *acutos* appellamus, qui velociter scilicet atque cum impetu et periculo ad statum moventur. Quamvis si minus accurate, haud tamen minus vere loquaris, isti etiam morbi pro acutis sunt habendi, qui licet respectu paroxysmorum si omnes simul sumantur tardius moveant, respectu tamen paroxysmi cujuslibet particularis cito atque etiam critice ad finem perveniunt, quales sunt febres intermittentes omnes. Ubi vero continens morbi materies ejus est indolis, ut febrim in partes suas pertrahere non valeat, ad dictae materiae separationem universalem, morbi et *chronici* nuncupantur et sunt.

Ita-

(40) *l. l. Sect.* 1. *c.* 1. *pag.* 58. *seq.*

Itaque cum naturam morborum medicatricem cum Coo illo cognoverit, hos nullo modo aut certius aut felicius sanari arbitratus est, quam cognitam naturae methodum imitando (41). Quare praesertim ad varias vias, quibus crises in quacunque febris specie fiant attendit et ad stata harum crisium tempora, quas non praevertendas aut accelerandas, sed suo tempore promovendas censuit. Nam experientia, non autem ratio docet, quaenam febrium species per sudores, quaenam per catharsin sit exterminanda (42), ac in febrium quarumlibet curatione omne punctum tulit, qua porta excludenda sit materia febrilis, qui certo norit, venae sectione nempe, sudoribus, catharsi, aut si qua est alia magis adposita (43). Medicos artifices, qui hunc naturae ordinem praevertere conarentur, eis similes esse dixit, qui tempore non suo arborum fructus exspectant.

Verum eo loco imprimis se naturae probavit interpretem, quo de perfectissimo illo febrium genere loquitur, quam *depuratoriam* vocavit, quamque summum naturae medicatricis auxilium habuit. „ Primo quidem adverto, inordinatam illam massae sanguineae commotionem, febris hujus sive caussam, sive comitem „ a natura concitari, vel ut heterogenea quaedam materia in eadem conclusa ac ipsi inimica secernatur, vel ut sanguis in novam „ aliquam diathesin immutetur; illud omne genus febrium malignarum testatum facit, utpote a quibus istius ebullitionis sanguinis beneficio sit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis et prava qualitate affecti, hoc vero, quod in corporibus „ sa-

(41) *Praefat. p.* 18. *seq. et p.* 27. Cf. *Opp. p.* 226.
(42) *Pag.* 226. *l. l.*
(43) *Ibid. pag.* 260.

„ ſanis crebro evenire haec commotio comperta est in quibus
„ nullus apparatus morbificus vel quoad plethoram vel quoad caco-
„ chymiam fuerit, nulla inſalubris aëris anomalia, quae febri occa-
„ ſionem ſubminiſtraret. Nihilominus etiam hujusmodi homines prae-
„ cedente aliqua aëris, victus caeterarumque rerum non naturalium
„ (ut vocant) mutatione idèntidem febre corripiuntur, propterea
„ quod eorum ſanguis novum ſtatum et conditionem adipiſci gestit,
„ qualem ejusmodi aër aut victus postulaverit; minime vero quod
„ particularum vitioſarum in ſanguine ſtabulantium irritatio febrim
„ procreët. Secundo ita mecum reputo, indicationes veras ac genui-
„ nas, quae in hoc morbo conſurgunt in eo verſari, ut ſanguinis
„ commotio intra modum naturae propoſito congruentem ſiſtatur,
„ ut nec hinc plus aequo gliſcat, unde periculoſa ſymptomata
„ inſequi ſolent, nec illinc nimium torpeat, quo pacto vel mate-
„ riae morbificae protruſio impediretur, vel ſanguinis novum ſtatum
„ adfectantis labefactarentur conatus. Adeo ut ſive materiae hete-
„ rogeneae irritanti, ſive cruori res novas molienti febris ortus
„ debeatur, indicatio utrobique eadem exiſtat." (44)

His jam praemisſis videamus, quid auctor de Epidëmica Conſti-
tutione docuerit. Cum Hippocrates morborum vulgarium cauſas
in manifestis aëris qualitatibus imprimis quaerendas putasſet, unde
varia Epidëmiarum genera quae annua dicuntur repetiit, noster
occultam quandam alterationem in ipſis terrae viſceribus natam
alius ejusque generalioris Cònſtitutionis matrem dixit, quae ſemper
febrem quamdam comitem habet, quam *ſtationariam* appellavit.

„ Quamvis, inquit, diverſas diverſorum annorum habitudines
quo-

(44) *l. l. pag.* 51. *ſeqq.*

„ quoad manifestas aëris qualitates, maxima qua potui diligentia
„ notaverim, ut vel exinde caufas tantae Epidemicorum vicisfitu-
„ dinis expifcarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promo-
„ veri fentio, quippe qui animadverto, annos quoad manifestam
„ aëris temperiem fibi plane confentientes difpari admodum mor-
„ borum agmine infestari et vice verfa. Ita enim fe res habet.
„ Variae nempe funt annorum Conftitutiones, quae neque calori,
„ neque frigori, non ficco humidove ortum fuum debent, fed ab
„ occulto potius et inexplicabili quadam alteratione in ipfis terrae
„ vifceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quae
„ humana corpora huic aut illi morbo addicunt determinantque,
„ ftante fcilicet praefatae Conftitutionis praedominio, quae exacto
„ demum aliquot annorum curriculo denuo facesfit atque alteri
„ locum cedit. Unaquaeque harum conftitutionum generalium pro-
„ pria ac peculiari fibi febris specie funestatur, quae extra illam
„ nusquam apparet. Cujusmodi febrium idcirco ftationariae nobis
„ audiunt. Ad haec funt et peculiares quaedam ejusdem anni
„ ut ita dicam Crafes, in quibus licet fecundum manifestas aëris
„ qualitates ejusmodi febres, quae generaliorem anni Conftitutio-
„ nem fequuntur magis minusve epidemice grasfantur vel ferius
„ ocyusve ingruunt, prae caeteris tamen ejusmodi febres, quae omni-
„ bus in univerfum annis competunt, quas ideo intercurrentes vo-
„ co, ab hoc illove manifesto aëris temperamento ortum ducunt
„ v. gr. pleuritis, angina &c. quae a fubito calore intenfius fri-
„ gus ftatim excipiente plerumque invadunt. Potest itaque fieri,
„ ut fenfibiles aëris qualitates ad illas quidem febres producen-
„ das faciant, quae in qualibet conftitutione fe exferunt, non vero
„ ad iftas alias quae certae alicui conftitutioni quafi propriae ac

„ pe-

„ peculiares existant. Fatendum tamen est, praedictas aëris qua-
„ litates corpora nostra ad hujus illiusve morbi epidemici genera-
„ tionem magis minusve disponere, quod et de quocunque erro-
„ re circa sex res non naturales dictum volo (45)."

Epidemicorum autem alii φαινομενων decursus atque exitus constantia in suo genere perfectissimi sunt, ab his igitur vera et fida morborum epidemicorum historia ediscenda est atque tradenda. Alii vero mutabilis sunt indolis et mali moris.

Dividuntur autem Epidemici hi morbi in duos ordines, vernos scilicet et autumnales, qui, quamvis et alia qualibet tempestate nascantur, ad illam tamen sunt relegandi, ver autumnusve fuerit, quam proxime contingunt. Accidit enim nonnunquam aëris temperiem cum epidemicorum aliquo in tantum conspirare, ut eo fautore ante tempus sibi debitum miseros invadat, et e contra est, ubi tam parum illis inter se convenit, ut corpus praedispositum, nonnisi aliquamdiu post, adgrediatur. Cum itaque, inquit, ver dico vel autumnum, non de ipso statim aequinoctio, sive verno, sive autumnali loquor. In febribus intermittentibus usque adeo necessaria est haec distinctio, ut, nisi eandem in praxi sedulo contemplemur, neque de earum duratione quicquam pronuntiare, neque commodo regimine aegrorum corpora curare poterimus, habita tum tempestatum, tum naturae febrium diversae ratione. Verum quidem est, febres utriusque tempestatis ingenium non plane dissimile nancisci, sive modum spectes primi insultus, qui cum horrore primum incipit, mox in calorem erumpit, ac tandem per sudorem solvitur, sive typorum discrimina, quorum respectu quaedam

(45) *l. l. pag. 41. seq.*

dam tertianae ſunt, cum vere, tum etiam autumno. Interim non dubito, ſic pergit Auctor, quin febres istae tota ſua natura ſive esſentialiter diſtinguantur (46).

Febres autem ſpeciatim quod attinet, obſervandum esſe docet Auctor, maximam earum partem, quae continuae ſunt nulla hucusque nomina, quatenus a conſtitutionis generalis influentia pendent, obtinuisſe; appellationes autem quibus dignoſcuntur, ab inſigni aliqua alteratione ſanguini impresſa, vel evidentiori ſymptomate mutuari. Hac ratione putridae dicuntur, malignae, petechiales &c. Quandoquidem vero, inquit, ſingula ferme conſtitutio praeter has, quas parturit febres ad alium morbum aliquem magis epidemicum eodem tempore propagandum proclivis est, celebrioris nominis, non ſatis video, cur iſtiusmodi febres non potius ſortirentur nomina a conſtitutione, quatenus horum morborum alterutri producendo favet, eodem illo tempore, quo comparebant, quam a qualibet ſanguinis alteratione, vel ſymptomate particulari, quae diverſae ſpeciei febribus eodem jure posſunt competere (47). Quum vero plures horum morborum eundem fatigent annum, unus eorum reliquorum praedominio potitur, caeteris in ejus quaſi ditionem redactis et parcius eo tempore ſaevientibus, ita ut illo augeſcente imminuantur hi, eodemque rurſus imminuto, mox recrudeſcant. Atque ita vicisſim mortales lacesſunt, prout anni genius et ſenſibilis aëris temperies huic aut illi magis ſuffragantur. Hanc rem illuſtrat hiſtoria febris dyſentericae, cujus mentionem fecit auctor *pag.* 171. *ſqq.* Grasſabantur nempe per conſtitutionem integram annorum 1669—1672 ſubintrante Julio (qui menſis certisſima est febrium

(46) *l. l. p.* 82.
(47) *l. l. pag.* 43. *ſeq.*

brium autumnalium epocha, uti vernalium Februarius) dyfentericae febres. His vero, autumno jam fe propius admovente, dyfenteriae (morbus vere autumnalis) fuccedebant, quas ab hyeme difflatas excipiebant febris dyfenterica et variolae; quae quidem variolae non eam tantum hyemem, fed et fubfequens etiam ver, nec non aeftatem illi conjunctam, peragrabant, donec reverfo Julio a febribus dyfentericis epidemice praedantibus ejicerentur; atque hae erant rerum vices, dum vigeret praedicta conftitutio. Qui vero morbus circa aequinoctium autumnale maximopere furit, totius anni conftitutioni nomen impertit fuum, hujus enim ingenio epidemici συγχρονοι fefe accommodant: v. gr. quo tempore variolae latisfime depopulantur, febris toto anno fparfim oberrans ejusdem plane inflammationis est particeps, quae variolas parit. Utriusque morbi fymptomatum maxima cognatio, excepta eruptione, quaeque inde pendent. Pariter cum dyfenteriae praecipue grasfantur, febris ejus anni ipfis est fimillima, nifi quod illae caufam morbificam per fedes eliminent &c. Et fane dyfenteria haec ipfa febris est in intestina incumbens ac per eadem viam quaerens. Hinc illam febrem variolofam, hanc vero dyfentericam adpellavit, utriusque autem morbi naturam febris fociae naturae fimilem, et fymptomata, et cura declararunt. cf. *pag.* 162 *fqq.* et p. 190 *fqq.*

Notandum autem est, epidemicum illum principem, qui fub aequinoctio autumnale ceu rupto aggere omnia ftraverat, ingruente hyemis frigore intra fuum fe alveum condere, dum epidemici inferioris ordinis, qui fub eo merentur, tunc temporis praefertim ingravefcant et rerum potiantur, donec dictus anni princeps eorum vires denuo frangat et deleat nomen. Quoties vero conftitutio aliqua varias epidemicorum fpecies parit, fingulae hae fpecies genere ab illis differunt, quae cum

 idem

idem plane nomen ſortiantur, alia tamen conſtitutione generentur. Teſtantur intermittentes tertianae vernales et autumnales, quarum hae refractarii genii malignique et innumerorum chronicorum matres, illae vero ſalutares et rarisſime diuturnae. Et quamvis morborum, qui in eandem conſtitutionem incidunt ſumma, ſit, ſive formae, ſive typi diverſitas, cum a communi cauſa, hac ſcilicet, aut alia aëris diatheſi peculiari omnes pendeant, communis ipſis ſubest corporis conditio et communis omnibus natura. Hinc par vitium cum ſit, paria quoque ſunt ſymptomata praecipua atque esſentialia; ac denique eodem tempore et intendunt ſaevitiam et remittunt: imo conveniunt, quae ſimul grasſantur morborum ſpecies, modo quo primum adgrediuntur, atque omnes in principio ſuo ſimilia habent ſymptomata, quae ſingula morborum, qui eodem tempore populantur, analogiam probant. Evidentisſimum hujus theſeos argumentum peti potest ab intermittentium illa anni 1661 et ſequentium conſtitutione, quae prima est, quam deſcripſit SYDENHAMUS, in qua febris, quae tunc invadebat continua, ſi vel diutius perſiſteret, vel aeger nimis evacuationibus fuerit exhauſtus, ſubinde in intermittentium castra de facili tranſiret, cum istae febres, quae ſequentes funestabant annos, etiamſi diutisſime cruciarent, rarisſime tamen intermittentes fierent (48); nec non ab intermittentibus tertianis et quartanis autumnalibus, quae monente SYDENHAMO ea affinitate inter ſe connexae ſunt, ut ſaepenumero vices permutare ſaltem ad tempus deprehendantur, mox fortasſe ad pristinum genium et typum rediturae; dum tertianae vernales quartanarum typum numquam induant, cum toto coelo a ſe invicem

(48) *l. l. pag.* 251.

cem ſint diſtinctae. Eandem theſin confirmant, quae ſcripſit Auctor *l. l. pag.* 44. *Sect.* I. *cap.* 2. „ Cum praemature Julio menſe „ v. gr. intermittentes autumnales ingrediuntur atque increbreſ- „ cunt, non ſtatim genuinum typum induunt, quod intermit- „ tentibus vernis quidem ſolemne est, ſed continuas febres ita „ per omnia imitantur, ut, niſi accurato examine inſtituto, ab in- „ vicem diſcriminari non posſint, at retuſo paulatim conſtitutio- „ nis impetu et fraenata vi, jam in typum regularem migrant, „ atque exeunte autumno larva abjecta, intermittentes ſe esſe, „ quales ab initio reapſe fuerunt, palam fatentur, ſive quartanae „ illae fuerint, ſive tertianae, quodſi non diligenter animadverte- „ rimus cum magno aegrorum nostrorum malo medicantes halluci- „ nabimur, dum hujusmodi febres, quae ex intermittentium nu- „ mero ſunt, pro continuis veris et genuinis habeantur."

Porro, ſicuti quilibet morbus in ſingulis hominibus ſuas habet periodos augmenti ſcilicet, ſtatus et declinationis, ita etiam conſtitutio generalis quaecumque, quae vitio cuidam favet eumque eo conſpirat, adeo ut vulgare ſive epidemicum ſiat, ſuas aetates habet, quatenus ſcilicet in dies magis ac magis epidemice populatur, donec ἀκμὴν attigerit ſuam, atque exinde iisdem fere gradibus decreſcit, usque dum penitus exoluerit, alteri conſtitutioni locum cedens (49). Symptomatum enim quod attinet vehementiam, atro-

(49) *l. l. pag.* 174. *ſeq.* Conſentiunt cum his Cel. RAMAZZINI verba, qui in cauſas Epidemiae ruralis, quam anno 1690 inter Mutinenſes obſervavit, inquirens, haec adjecit (*pag.* 131. *l. l.*) » Quamvis autem de miasmate contagioſo aliqua posſet esſe » ſuſpicio, dum uno in aliqua familia a febre correpto, caeteri paulo post ex eadem » febre decumberent, id tamen potius in communem diatheſin ad maturitatem eodem » tempore evectam, non ſecus ac cum autumno fructus eodem tempore maturescunt, » referendum duxerim, quam in effluvium aliquod contagioſum, quod e primo aegro- » tante exſpirans caeteros afficeret." ———

atrociora ſunt omnia, ubi primum ſe ostendit, quae quidem paulatim mitescunt et in conſtitutionis catastrophe tam ſunt benigna atque εὐφόρητα, quam patitur morbi ad quem pertinent natura. Haec luculenter monſtravit Auctor dyſenteriarum et variolarum conſtitutionis annorum 1670, 71 et 72 exemplo (50). „ Nimirum Epidemici omnes, ubi primum e naturae ſinu emergunt, „ principio magis ſpirituoſo ac ſubtili videntur inhaerescere, quam „ ubi jam magis adoleverint, quoque magis ad occaſum vergunt, „ eo magis in dies crasſi atque humorales fiunt. Etenim quales „ quales fuerint inimicae istiusmodi particulae, quas aëri intime „ permixtas Conſtitutionem Epidemicam formare opinabimur, om„ nino par est, ut easdem majori agendi potentia per ea tempora „ pollere existimemus, quibus primum eruperint, quam postquam „ earum vires fuerint refractae. Ita primis menſibus, quibus gras„ ſabatur pestis, nullo fere non die ejus contagio adflati, dum „ in triviis verſarentur, inopinantes exſtincti ſunt, nihil prorſus „ mali praeſentientes, cum, ubi morbus magis adoleverat, neminem „ niſi febre atque aliis ſymptomatis praecedentibus unquam pro„ ſtravit: ex quo abunde conficitur, hunc in ipſis incunabilis ma„ gis efferatum atque acutum fuisſe, quam post principia, licet „ pauciores prima acie jugulaverit, aucto jam ſcilicet, quem habe„ bat in humana corpora influxu. In dyſenteriis pariter omnia „ univerſim ſymptomata atrociora ſub primo morbi ingresſu com„ parebant, et licet, ſi ad aegrorum numerum reſpexeris, latius „ in dies malum ſerperet, donec tandem ad ſtatum pervenisſet, „ in quo ex conſequenti plures interibant, quam ineunte morbo, ſymp-

(50) *Pag.* 181. *l. l.*

„ ſymptomata tamen ſub initio ſaeviebant magis, quam in ſtatu,
„ ac multo adhuc magis, quam in declinatione, et plures pro
„ aegrorum numero peribant. Adde, quod, quo diutius perſevera-
„ bat morbus, eo magis humoralis etiam videbatur: v. gr. primo
„ quo invaſit autumno, quam plurimi nullis omnino dejectioni-
„ bus molestabantur; torminum vero, quod ſpectat atrocitatem,
„ febris intenſionem, ſubitam virium prostrationem aliaque ſym-
„ ptomata inſequentium annorum dyſenterias longo intervallo post
„ ſe reliquit. Quinimmo dyſenteriae cum dejectionibus, quae
„ primae incesſebant principio magis ſpirituoſo ac ſubtili videban-
„ tur inhaerere, quam, quae illas ſequebantur. Etenim in pri-
„ mis dyſenteriis et conatus et ad deſidendum irritatio majores
„ erant tum etiam frequentiores, ipſae vero dejectiones ſtercoro-
„ ſae praeſertim et minores et magis inſolentes. Quibus autem
„ gradibus morbus in genere ſe promovit, iisdem etiam imminue-
„ bantur tormina, dejectiones vero magis ſtercoroſae erant, do-
„ nec tandem, fatiscente Epidemica hac Conſtitutione, tormina
„ vix perciperentur dejectionesque *ſtercoroſae* magis esſent; quam
„ *mucoſae.*" Et de variolis *pag.* 203. *ſeq. l. l.* „ Obſervare
„ autem convenit, variolas has non ita diris ſymptomatibus per
„ omnia ſua tempora fuisſe ſtipatas; postquam enim binos exe-
„ gerant annos, tertio, ſcilicet 1672, mitescere coeperunt et
„ exuto nigro colore paulatim ad flavum illum et favorum ſimi-
„ lem accedebant, qui variolis legitimis maturescentibus est pro-
„ prius, ita ut postremo hujus conſtitutionis anno benignae pla-
„ ne esſent et boni moris habita generis ratione. Quo non ob-
„ ſtante ſatis liquebat, illas ad aliam prorſus clasſem relegandas
„ esſe, ex puſtularum nimirum exiguitate tam eximia, ad ſaliva-
„ tionem diſpoſitione atque aliis."

Di-

Diagnoſis uti in morbis ſporadicis momentoſa res est, ast ardua ſaepe, ita in epidemicis gravisſima ſimul et difficillima. En quae hac de re egregia dedit praecepta SYDENHAMUS (51).

1°. Animum advertat medicus ad anni tempeſtatem et aliorum epidemicorum ſimul grasſantium indolem, v. gr. qui variolas inſpexerit, facile conjectabit (modo ejus morbi hiſtoriam probe calleat) vel a die, quo primum erumpunt pustulae, vel ab earum magnitudine atque colore, ad quodnam variolarum genus ſpecies illa particularis fuerit referenda, atque ubi ſemel cognoverit, quaenam ſit illa variolarum ſpecies, quae eo anno atque per loca iſta increbreſcit, ſatis illi conſtabit de ſpecie febris cujusvis per id temporis atque eo locorum grasſantis.

2°. Ad propria febris ſymptomata, quae ad hunc vel illum evacuationis modum ſpectant. Videlicet certas diſtinctionis notas cuilibet ſpeciei ſigillatim impresſit natura, quae cum ſubtiliores ſint ac magis reconditae, nonniſi a cautisſimis erui ſolent. Imprimis autem evacuationis per ſudorem habenda est ratio, atque inquirendum, num haec fiat, nec ne, quodſi prius, utrum critica, an ſymptomatica, et quonam morbi tempore ſudatio vel ſiccitas contingat. Hiſce enim febris ſpecies praecipue diſtinguitur, et ſaepe, qua via morbum exſpellat natura quaque medico naturae imitatori procedendum ſit, cognoſcitur. Sic conſtitutione autumnali nullum ſudoris indicium fuit ante πεπασμον, qui die decimo quarto plerumque perficiebatur: — in pestilentiali nulli ſudores ſpontanei obſervati ſunt, profuere vero diaphoreticis provocati: — in variolis regularibus effuſisſimi, vel in ipſo morbi principio ſudores, et nihil levantes, imo ſae-

(51) *Pag.* 252. *ſeqq.* cf. *pag.* 242 *et* 246.

saepe symptomata inde aucta. In febribus, quae variolis anomalis et dysenteriis se comites junxere, anomali quoque fuere sudores, quippe qui solis primis diebus nulla praevia coctione prodire solebant, neque ullum aegris adferebant commodum (52).

3° Nec parvi refert ad febris speciem investigandam consideratio sive methodi, sive medicamenti, quibus minimo negotio expugnatur, uti et juvantium ac nocentium observatio.

Prognosin autem quod attinet, quo maturius invadant epidemici principes, eo majora capient incrementa, quod probavit auctor curiosa observatione circa quartanas intermittentes anni 1661, quo anno ipso Johanni festo jam plures ex quartanis illis aegrotabant, quae postea adeo fuere epidemicae, „ argumento, ait Auctor, magnum fuisse in ista quae tunc obtinebat aëris temperie ad istos „ morbos apparatum, qui deinceps procedente anno stipatiores „ grassabantur (53)." Huc quoque pertinere videntur, quae de variolis notavit, has quibus annis epidemice grassantur, si regulares etiam sunt atque mitiores, circa aequinoctium vernum ingredi, quibus vero annis non tantum grassantur epidemice, sed et irregulares atque discriminis plenae, maturius nonnumquam Januario videlicet mense invadere (54). Quodsi vero diagnosis novae febris speciei vertente primum anni constitutione haud parum difficultatis habeat, quo pacto, quem vix noveris, hostem quam felicissime expugnes, determinasse ἀδυνατον saepe, quare hac rerum conditione medicum cunctatorem agere SYDENHAMUS jubet. „ Dum enim, „ inquit, morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere va- „ le-

(52) Cf. *pag.* 193 *et* 226 *l. l.*
(53) *Pag* 82. *l. l.*
(54) *P.* 132. *l. l. Sect.* III. *Cap.* 2.

„ lerem, febris vel ſponte ſua ſenſim evanuit, vel in eum ſe „ typum redegit, ut jam mihi innoteſceret, quibus armis esſet de- „ bellanda." Nec raro optimis ac tutisſimis armis medicum in- ſtruit juvantium et nocentium obſervatio, quibus expulſo hoste, aegrum omni periculo liberat. Quomodo autem in hac quoque rerum conditione naturae medicatricis opera quam felicisſime imitetur artifex, praeclaro ſuo exemplo ipſe docuit. Videlicet quo tempore ſaeviebat dyſenteria, febris quaedam illi ſimillima, quae dyſentericos exercere ſolet, una exorta est. Haec, cum ſolitaria incederet, nullis comitabatur torminibus dejectionibusve dyſentericis. „ Nascente ferme conſtitutione hac, ita Auctor *pag.* 194, dum „ irrequieto animo novae hujus febris naturam volutarem, ad ju- „ venculam mihi vicinam advocabar, febricitantem quidem illam „ atque acerbisſimo ſyncipitis dolore fere enectam aliisque ſym- „ ptomatis, quibus febrem dyſentericam onerari diximus. Haec „ cum a me interrogaretur, et de modo quo febris primum inva- „ debat, et de ejusdem duratione, faſſa est ſe a dyſenteria, quae tunc „ ubique fere grasſabatur a quatuordecim retro diebus fuisſe li- „ beratam, cui, ſive ſua ſponte decedenti, ſive medicamenti ope „ depulſae protinus ſuccesſit dicta febris. Quibus ego me rectis- „ ſime occurrere posſe conjectabam, ſi dyſenteriae loco aliam evacua- „ tionem ſubſtituerem ejus ſimillimam, qua praecluſa febris oborta „ est. Semper enim rebar, non ſufficere ad comprobandam in acu- „ tis medendi rationem, ut feliciter ea cederet, cum ab impe- „ ritisſimarum muliercularum temeritate ſanentur nonnulli, ſed „ requiri adhuc, ut morbus nullo negotio victus quaſi ſuopte „ genio cedat atque abitum adſectet, quantum ejus fert natura." Et *pag.* 193. *l. l.* de eadem hac febre haec habet: „ cum ob-

„ ſer-

„ servasſem, phaenomena ſebris dyſentericorum quam plurium „ eadem plane esſe cum illis, quae hujus anni febres ſolitarias „ comitabantur, conſentaneum mihi videbatur, ſi evacuationem il- „ lam quadamtenus imitarer, qua natura materiam illam corroſi- „ vam atque acrem, quae et ipſius dyſenteriae et ſupervenientis fe- „ bris cauſa continens est, ſolet ablegare. Ac proinde eadem „ ipſa methodo tum quoad venaeſectionem, tum repetitas purga- „ tiones, febrem hanc adgresſus ſum, quam in dyſenteriae cura- „ tione adhibueram."

Quinque fuere ab annis 1661—1675, obſervante SYDENHAMO, aëris diatheſes totidem epidemicarum febrium ſpecies producentes, quarum prima, depuratoria ipſi dicta, intermittentium autumnalium fuit feracisſima. In hac autem Conſtitutione hac ratione ſeſe excipiebant morbi. Anno 1661 febres autumnales tertianae praeſertim mali moris, ſub initio Julii ſubortae et quotidie increbreſcentes menſe Augusto maxime ſaeviebant, magnamque hominum ſtragem edebant; dein vero ſuperveniente hyemis frigore Octobri menſe fere exſtinctae ſunt una cum quartanis, quae tamen rariores. His ſubſecuta est febris continua, in eo tantum ab illis diſtincta, quod hae ſtatis temporibus, illa continenter urgebat, quin immo vel hinc patuit, febrem hanc ex autumnalium intermittentium familia esſe, quod raro admodum ſurgente anno compareret. Tertiana inſequentibus autumnis quartanis imperium detulit, quibus post autumnum febris continua ſuccesſit ad usque ver, quo tempore febres intermittentes vernales inſequebantur, quibus ad calendas Maji pariter fatiscentibus, variolae hinc et inde ſparſim ſe oſtendebant, quae denuo ad conſpectum epide-

 mi-

micorum autumnalium (febris continuae et quartanae intermittentis) terga dabant victoribus.

Secunda, quae memoratur Constitutio, cui pestilentis nomen est, inflammatoriis iis omnibus, quae post invasere, se ducem praebuit ac *πρόδρομον*. Praegressa hyeme frigidissima et sicco gelu in veris usque tempora perdurante, cum ex improviso solveretur frigus, morbi inflammatorii, pleuritides, peripneumoniae, anginae frequentissimae fuerunt, anno vero surgente ipsa pestis irrupit saevissima, quae Julio mense ad *ἀκμὴν* pervenit, sub Novembris exitu paene emortua.

Tertia variolosa est, ab anno 1667 ad annum 1669. Variolae aequinoctio verno adpetente caput adtollere coeperunt, sub autumno *ἐπιδημικώτατοι*, superveniente brumali frigore parcius lacessebant; at proximo vere adolescente postliminio invaluit hic morbus, ab insequentis hyemis gelu denuo coërcebatur. Posthaec tertio demum cum vere increbuit ast jam languidior. Mense vero Augusto anni 1669 penitus intercidit, dysenteriae locum cedens: fuerunt autem hae variolae regulares maxime ac benignae. Has et novum febris genus comitabatur, ipsis, si pustularum eruptionem et quae ab illa pendent, demas, analoga. Haec hyeme, cum illae minuerentur, invaluit atque illis vere novo invalescentibus recessit, epidemicorum praedominium illis relinquens. Nihilominus per haec tempora non plane desiit umquam, donec tandem cum variolis mense Augusto 1669 omnino disparuit. Binis his morbis epidemicis tertius se junxit, ultima praesertim hujus Constitutionis aestate, diarrhaea scilicet, aëris Constitutione jam tum ad subsequentem dysenteriam vergente; saltem morbus hic febrem regnantem

tem proxime adeo attingebat, ut nihil aliud esse videretur, quam ipsa febris introversa et visceribus incumbens.

In Constitutione quarta, ineunte Augusto anni 1669 cholera morbus, inania ventris tormina sine dejectionibus (constitutionis dysentericae primordia) et dysenteria ipsa, ast initio hisce rarior multo. Cholera Epidemica, uti semper intra Augusti cancellos stetit, ea prorsus fide, qua veris primordia hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem cuculus amare consuevit. Caeterum per integram hanc Constitutionem Julio subintrante febres dysentericae grassabantur, quibus dysenteriae succedebant. Has vero hyeme excipiebant febris dysenterica et variolae, Julio demum mense a febribus dysentericis pulsae (55).

Quinta Constitutio perinde atque aliae mox ab ingressu socia habuit symptomata, quae indicia haud obscura dabant, majorem et spirituosam magis tunc esse inflammationem, quam ubi adoleverat morbus. Febris videtur fuisse ex rheumaticarum familia, quae circa initium Julii ingressa est, Constitutione nondum ita ad eam unice disposita, ut penitus excluderentur Constitutionis praecedentis morbi; quasdam enim protulit variolas et dysenterias veteris prosapiae. Morbilli praemature Januario mense invadebant valde epidemici, non admodom regulares; ad aequinoctium vernum increvere, inde contractiores, donec paulo post elapsum solstitium aestivum tandem evanescerent. Cum variolae praecedentis Constitutionis post duos priores annos pustulas emitterent, minus ac minus

(55) Variolae hac anomalae erant, parvae, nigrae saepe, eruptio tertio jam die. Hac constitutione, qua tam epidemice saeviebant dysenteriae, variolae regime justo calidiore provocatae per dysenteriam nonnumquam viam sibi faciebant, quod ne semel accidisse hactenus animadverterat Auctor Cf. *pag.* 203. *l. l.*

nus nigricantes, majores insuper sensim et majores, donec sub finem anni 1673 pro speciei ratione mites essent et benignae, jam recepta pristina feritate et pessimis symptomatis stipatae revertebantur. Invaluit haec variolarum species autumno proximo, longius etiam in hyemem excurrens, quae cum solito calidior multo esset, morbo favebat, adpetente vero tempestate frigidiore imminuta est, febri jam grassanti locum cedens (56). Febris continua initio Julii anni 1675 longe lateque depopulata, autumno jam adpropinquante in viscera coepit converti, nunc dysenteriae symptomatis (57), nunc diarrhoeae se prodens, licet quandoque neque hanc haberet comitem, neque illam, sed caput magis petebat et aegros reddebat stupidiores. Variolae interea sub aequinoctio autumnali penitus disparuere et febris aliis epidemicis devictis anni praedominio potita est. Hunc cursum tenuit nunc caput petens, nunc viscera, ubique saeviens sub persona symptomatum iis partibus accidentium ad finem usque Octobris, quo tempore, quae eo usque tepida atque aestiva fuerat tempestas, derepente in frigidam humidamque est mutata, unde etiam catarrhi et tusses increbuere magis quam ullo alio tempore. Quod autem maximi erat momenti, tussibus hisce supervenire solebat febris hujus constitutionis stationaria, quae ansa hinc adrepta et magis grassabatur et quaedam etiam symptomata variabat. Cum enim paulo ante insultus in intestina et caput plerumque fieret, nunc in pulmones et pleuram prae caeteris detorquebatur, unde symptomata pleuritica et peripneumonica, licet eadem omnino febris esset, quae Julio 1673 ingressa, sine qua-

(56) *Pag.* 219. *l. l.*

(57) Dysenteriae in hac constitutione symptomatis tantum rationem habuere, quae cum in praecedenti ad morbi epidemici essentiam pertinerent, catharticis curatae sunt.

quavis ſymptomatum alteratione progrediebatur, donec catarrhi isti accederent. Catarrhis et tusſibus elapſo Novembri derepente imminutis, febris ſymptomata, quae ab hisce penderent, abjecit atque eadem plane manſit, quae erat ante catarrhos ſubortos. Conſtitutio autem haec perquam anomala fuit, atque irregularis et ejusdem omnino indolis morbi per eam nati (58).

Et hac quidem fuere epidemiarum vicisſitudines, quas omnes, praeſertim a peste illa inde, phlogistica diatheſis inſignivit. Dubitat vero SYDENHAMUS, an diligentius examen, quali rite inſtituendo vix unius hominis aetas par esſe videtur, nos edoceret, epidemicorum alios continua quadam ſerie, ceu facto circulo, alios ſemper excipere, an vero omnes indiscriminatim nulloque ordine pro occulta aëris diatheſi et inexplicabili temporum ratione, mortales incesſere (59).

Praeter has autem, quas dixerat febres ſtationarias, alias continuas SYDENHAMUS memorat, harum imperio ſubjectas, quae cum omnibus annis ſint communes, *intercurrentes* ipſi audiunt (60). Ac veluti febres epidemicae ſtationariae ab aëris occulta quadam conſtitutione nascuntur et foventur, ſic intercurrentium epidemicarum communis cauſa a manifesto quodam in aëre vitio est repetenda, hominum corpora ita disponente, ut exinde tales talesve ſanguinis atque humorum dyſcraſiae generentur, quae harum intercurrentium cauſae fuerint immediatae et proximae. Ita, cum gelu acrius diu perſeveraverit, ſe in veris usque pomoeria longius extendens, derepente autem calidior tempestas ſuccedat, pleuritides, angi-

(58) *l. l. pag.* 220.
(59) *l. l. pag.* 40.
(60) *Sect.* 6. *c.* 1. *pag.* 256. *ſeqq.*

ginae similesque morbi invadere solent, qualiscunque demum fuerit constitutio annorum generalis. Hos vero intercurrentes morbos *essentiales*, ab iis affectibus probe distinguere oportet medicum, qui, licet externa facie et nomine iis similes, natura tamen ab ipsis maximopere differunt, neque nisi symptomata sunt stationariarum, quibus superveniunt, febrium, neque, aliam quam hac sibi postulant curationem sive venaesectione, sive sudoribus, sive alia quaecunque haec fiat methodo. Jam vero ad utriusque generis affectuum tum essentialium tum symptomaticorum diagnosin meminisse juvabit, quod qualia sint symptomata, quae invasionem febris cujusvis stationariae comitantur, talia omnino erunt symptomata, quae insultum sive pleuritidis sive anginae sequuntur, quoties ejusmodi febris accidentia sunt tantum, quod quidem illustravit Auctor pleuritide symptomatica, quae febri per hyemem A[i]. 1675 grassanti superveniebat. Hac qui laborabant pleuritide quam primum corripiebantur, capitis, dorsi et artuum patiebantur dolorem, quae certissima erant et maxime vulgaria febrium earum omnium symptomata, quae et ante pleuritides ingressas invadebant atque illis exspirantibus adhuc durabant. Cum si quis intercurrens morbus est essentialis, quovis anno semper et ubique sibi similis, nihil prorsus cum febre stationaria regnante commune habet. Praeterea quaecunque sequentia symptomata perspicua magis sunt, cum non obscurantur aut confunduntur ab aliorum φαινομένων, quae naturae sunt diversae, et ad aliam spectant febrem, admixtione. Tandem anni tempus cuilibet essentiali intercurrenti proprium haud raro veram, quam quaeris, morbi indolem declarabit. Suo tamen jure Auctor *pag.* 259. „ ad morborum tum horum tum aliorum di„ agnosin, eum demum instructissimum accedere, qui adsidua et

„ di-

„ diligenti phaenomenorum obſervatione cujuscunque generis dis-
„ tinctam habuerit notionem, licet differentiarum characteristica-
„ rum aliae ita ſint fortasſe ſubtiles ac delicatae, ut easdem
„ alteri verbis nequeat exprimere."

Et haec quidem egregii viri de Epidemica Conſtitutione obſervationum est epitome, in quibus exponendis illud imprimis egimus, ut ipſis illius verbis uteremur, ne nostris ſua adulterasſe videamur.

Ex Italis SYDENHAMI vestigiis ingresſus est BERN. RAMAZZINI, qui conſtitutiones Mutinenſes, quas ab A°. 1690 — 1694 obſervaverat, deſcripſit. Is, quam tuetur Sydenhamianam de febris ſtationariae aetiologia opinionem, annorum 1692, 93 et 94 historia confirmavit, quibus, cum disſimilis maxime fuerit coeli facies, eadem epidemica febris, petechialis nempe grasſata est, „ unde ſatis li-
„ quere potest, inquit Auctor (*Operum pag.* 191.) quam parum
„ firmo talo ſtet illorum opinio, qui ex manifestis aëris qualita-
„ tibus caloris ſcilicet, frigoris &c. putant ſatis explicari posſe
„ epidemicorum affectuum geneſin ac indolem, ut etiam ex prae-
„ gresſis conſtitutionibus praenuntiari posſint aegritudines, qui po-
„ pulariter vagari debeant (61)." Fuit tamen RAMAZZINI Chemicorum partibus addictus, neque proinde integer naturae obſervator (62). Hinc et epidemiam anni 1690 ex acidis particulis e terra fermentata elevatis et in aërem exceptis ortam esſe ſcripſit (l. l. *p.* 132.).

BAGLIVIUS quoque brevem historiam tradidit apoplexiae epidemicae, quae anno 1694 et ſequenti Romae ſaeviit, cujus origo ab

(61) Conſentit etiam BURSERIUS *Inſtit. Med. Pract.* V. II. c. X. §. 347.
(62) K. SPRENGEL *Pragm. Geſch. Tom.* V. *pag.* 478.

ab insueta illorum annorum temperie ipsi repetenda videtur (63) et LANCISIUS circa varia Epidemiarum genera observationes edidit, et alii, quorum omnium mentionem facere vetat et temporis et instituti ratio.

Breviter tamen referre lubet HUXHAMI labores, cui in illustranda Epidemiarum ex aëris vicissitudinibus genesi summa debetur laus. Hic coeli mutationum diligens atque accuratissimus observator, primas in Constitutionibus producendis manifestis dedit aëris qualitatibus ac Coi illius, quem maximi fecit doctrinae se fautorem et defensorem professus est. Ita, *pag.* 3. *praef.* ad *Vol.* II. *Observ. de Aëre et Morbis Epid.*: „ Nostram profecto ad vitam sustentan„ dam omnium maxime necessarius est aër, caeteris utique per „ plures horas carere possumus, hoc ne vel tempore quam bre„ vissimo, an igitur purus sit vel impurus summi profecto est mo„ menti, quisque adeo bonas nec non pravas qualitates probe per„ discere debet medicus. Aëris autem nomine hic volo terrae „ atmosphaera, non merum uti dicitur elementum: quae, cum ex „ variis admodum rebus comparatur, variis etiam modis officere no„ bis ac proficere potest. Diversae ergo hujus Constitutionis, tum „ ad sanitatem tuendam, tum ad morbos depellendos assidue sunt „ observandae. Et *pag.* 11. *l. l.* quamquam aliquae febres epidemi„ cae a contagione ducant originem, oriuntur attamen plures ab „ intemperie aëris manifesta, neque enim probabilis magis videtur „ communis morbi causa, quam ipse aër omnibus communis."

Neque, quam arcto adfinitatis vinculo aëris diathesis et epidemica morborum Constitutio teneantur, evidentius quis demonstravit unquam.

(63) *Prax. Med. T.* II. *pag.* 117. *L. B.* 1719.

quam. Exempli loco ſint quae de catarrhis anno 1728. notavit: „ Tusſes quae a primo Januario (ſub tempestate humida et pluvioſa admodum) fuerunt valde frequentes, jam factae frequentisſimae pluribus junioribus praecipue infestae ſunt, quibus accesſerunt deſtillationes maximae ac dolores faucium atque dentium cum glandularum parotidum et maxillarum tumoribus. Haec fere omnia in menſe ſuperiore, at jam (Februario menſe coelo ſicco frigido) cum his ingruit febrilis affectio et reſpiratio difficilis, imo pluribus medio hoc menſe accidebant pleuritides et peripneumoniae, quorum ſanguis extractus fuit viſcidus et parum ſeroſus, cum tamen durante Januario vel ab ipſis rheumaticis raro fuisſet valde glutinoſus. Tum porro ſatis fuit exhibuisſe Spir. Volat. Oleoſ., Elix. Asthmat. le Mort, aut tale quid ex lenioribus diluentibus ad ſudores eliciendos et tusſin ſopiendam; raro venam ſecantes, nec Epispastica frequenter admoventes. Jam ſanguinem mittere ſaepe necesſe erat et repetitis anodynis vehementiam tusſis lenire; anacatharſin et facilem reſpirationem larga pectorali et molli potione detergente moliri &c. (64)".

De ſtationaria autem febre nulla apud eum ſit mentio. Cum vero HUXHAMUS ille rem meteorologicam in disciplinae medicae uſum tam egregie excoluit et priſcorum probavit in obſervando ingenioſam diligentiam, STOLLIUS Sydenhamianum repetivit opus auxitque (65). Is autem, cum artes illas, quae ad humanitatem per-

(64) *Obſerv. de Aëre et Morbis Epid. V.* I. *pag.* 8.

(65) Verbo hic loci commemorandus est LENTINUS probatisſimus Auctor et Medicus expertisſimus, qui inter Clausthalienſes artifex, circa hoc tempus Ao. nimirum 1779, egregium libellum edidit, in quo et alia multa ſcitu dignisſima et imprimis curioſisſimae obſervationes rem epidemicam ſpectantes reperiuntur. Retulit enim ipſe res per triennium (ab Anno ſcilicet 1774—1777) gestas ſub epidemicorum varii generis imperio. Adcu-

pertinent, fideliter didicisſet, ſtudii medici ducem imprimis habuit Cel. Haenium. Ad ipſam ſanandi artem exercendam quam primum ſe contulerit, omni ſtudio atque ſumma animi contentione in obſervandis deſignandisque morbis popularibus verſatus est. Jam enim de certo in arte medica principio inveniendo propemodum desperans, Aeſculapii ſacra relinquere conſtituerat, alii disciplinae operam daturus quae et minus conjecturalis atque uſu manifestius comprobata esſet. Ast asſidua et attenta obſervationum, quas immortalis Sydenhamus de febribus ſcripſerat, penſitatio STOLLIUM aegrorum ſaluti atque artis noſtrae incremento ſervavit (66). Ita ipſe rem refert in Epiſtola ſua ad Grantium (67): „ Per „ aliquot jam annos, cum methodos curandarum febrium diverſis- „ ſimas quin & oppoſitas contemplarer audiremque diverſarum „ opinionum non ignobiles artis magistros; cum quacunque ad- „ hibita medendi ratione, nihilominus viderem aut funera per- „ quam multa, aut tardas post millenas cum morte luctas recon- „ valescentias, neque hic, neque ille fortunatiorem aegris medi- „ cinam faceret, saepisſime et artis nostrae et miſerorum quam „ maxime mortalium ſorti indolui. Trepidus ob id ipſum accesſi „ et animum deſpondens ad artis nostrae uſum, quam primum „ in Hungaria exercui, germana febrium popularium patria. Plu- „ rima animo pasſus ſum, plurima etiam corpore, donec rejec- „ tis,

Adcurate ſimul notavit meteorologicam horum annorum historiam. Caeterum memoratu haud indignum puto, morbos originis bilioſae reliquis frequentiores vidisſe LENTINUM, quos eodem tempore Viennae regnantes vidit STOLLIUS. De hisce quidem infra faciemus mentionem. Cf. *Memorabilia circa aërem, vitae genus, ſanitatem et morbos Clausthalienſium Annorum* 1774—1777., *Auctore* L. F. B. LENTIN, *Gött.* 1779.

(66) Vide quae de vita STOLLII leguntur in *Rat. Med. P.* IV. *p.* 1. *Ed.* JO. EYEREL, *Lugd. Bat.* 1796.

(67) *Pag.* 27. *l. l.*

„ tis, qui me ſeduxerant, aut ſaltem non inſtruxerant, Auctoribus, ſtabiles mihi certosque medendi canones efformarem, quos „ asſidua contemplatio febrium epidemice grasſantium et ſibi relictarum ſuppeditaverat. Etenim cum et frequentisſimae eae „ febres ibi ſunt et ruri inter tenuisſimae ſortis homines, aliis „ magnarum urbium luxusve morbis non commiſtae, ſed ſimplices, certo quotannis ordine enascantur, vigeant, emoriantur, „ nec remediis, utpote quibus maximam partem diſtituuntur, „ anomalae factae ſunt, quid faciat feratque natura ſui conſervatrix, hominem perattentum effugere haud potuit." Tanti autem fecit hoc ſtudium, ut ad illud curſum dirigere medicum jubeat, ne incertus, hic illic, quocunque tempeſtas rapiat, deferatur. „ Qui regnantem, inquit, temporis conſtitutionem non „ asſidue reſpexerit, neque inde ſuos ſibi canones efformarit, nae „ is alto ſe mari committit, ventorum ludibrium et fluctuum praeda (68)."

Quam ex intimis medicinae penetralibus petiverat Sydenhamus morbi et febris praecipue notionem, eam et STOLLIUM natura docuit. Hinc et febrim vitae quocumque modo irritatae conatum dixit adverſus ſtimulum inimicum (69), ſive cum ſummo BOERHAVIO nostro affectionem vitae conantis mortem avertere (70). Hujus vero vitae conatus non eadem ſemper est ratio, ſed varia, ſiquidem et variae ſint ejus cauſae. Hinc multiplex febrium diviſio et indoles, quae, ſi a communi quadam cauſa provocentur, ſive annua conſtitutione periodice recurrente, ſive annuae mutatione,

(68) *Rat. Med. P. II. pag.* 147.
(69) *Aph. de Cognoſc. et Cur. Febr. Aph.* 7.
(70) *Aph.* 571.

ne, five intercurrente quodam miasmate, dicuntur univerfales, *epidemicae*, quae vel ftationariae funt, vel annuae, vel intercurrentes; fi vero a caufa unicuique homini propria fuscitantur, *fporadicas* vocant (71).

Stollius, cum gravisfimam hanc Sydenhami de febre ftationaria doctrinam, fuo, maximo illo, haberet pretio, ab eo tamen, ut fieri folet, paululum disfentire videtur. Ut enim fuus cuique homini est corporis habitus fuique vivendi mores, ita cuique fua de rebus cogitandi fcribendique ratio. Sydenhamus naturae legum, quas obfervando didicit vindex, inter febres cuique annorum conftitutioni respondentes quandam femper vidit, quae et caeteras epidemica illa potestate fuperaret, et in qua, five fymptomatum ordinem et fuccesfionem, five evacuationes, et, quo ad exitum ducitur, modum refpexeris, harum legum vis magis emineret. Quae, cum in intermittentibus febribus quaeque ex harum familia funt continuis remittentibus, in quibus certa est paroxysmorum fibi fimilium ratio, fimili modo crifi per cutim abeuntium, uti et in illis, quae contagium, vel faltem contagii germen habent, imperium longe lateque extendentibus et pari lege fua ftadia percurrentibus critico infequente judicio, facilius confpiciuntur, ab hisce fuas Conftitutiones denominavit. Quae enim ad aliorum exemplum a fymptomate quodam evidentiori, aut ab infigni aliqua in fanguine alteratione mutuantur nomina et confufionem facere et ad inania opinionum commenta ducere exiftimavit. Hinc prioris Conftitutionis, imperante intermittentium gente, febrem principem depuratoriam dixit. Hinc et febris pestilentis, variolofae, dy-

(71) *Aph.* 1—26,

dyſentericae nomen. Hinc ab occulta ſola cauſa ſtationarias naſci ſcripſit, quas ex manifesto aëris vitio intelligi non posſe perſpexit. Nec tamen neglexisſe prorſus tempestatum anni vicisſitudines, ſed ab his cum miasmate aut contagio conſpirantibus augeri, vel ad verſantibus hiſce reprimi vim morbi ipſum obſervasſe ea indicant, quae de peste ſcripſit *p.* 208. *ſq.* Quae vero de eadem peste notavit *p.* 251, eam videlicet inflammatoriis iis omnibus, quae post invaſere, ſe ducem praebuisſe ac πρόδρομον, docent, eum ad dynamicum quoque, quem vocant Conſtitutionum characterem attendisſe. STOLLIUS vero, Sydenhamo doctior, cum ex ſcriptis cum veterum, tum recentiorum, inter quos Hippocratem et Huxhamum Sydenhamo posteriorem nominasſe ſufficit, anni temporum aërisque vices tot morborum cauſas esſe cognovisſet, qui inde optimam habent interpretationem, harum in ſtationarias quoque Conſtitutiones potestatem vindicavit, et licet non negaverit his occultam quandam cauſam ſubesſe posſe, tamen ſtationariae febris notionem non ad Epidemias, quarum abdita cauſa est, reſtrinxit, verum etiam ad annuas febres temporum vice non ſuppresſas ſuosque egresſas limites extendisſe videtur, et hisce annuarum dedisſe nomina (72). Harum autem febrium ignorari indolem, numerum, extenſionem, periodum, neque determinari posſe, an eaedem ſtationariae post aliquot emenſa annorum curricula certo ac ſtabili quodam ordine recurrant, num earum definitus ſit numerus, an vero

(72) Hanc tamen denominationem poſtea reprobavit ipſe *l. l. P.* IV. *p.* 68. » Febris ſtationariae nomen Sydenhamus voluit ſubinde deſumere ab epidemico quodam concurrente, ſic febrem ille habuit varioloſam, dyſentericam &c.; non placet mihi haec contemplatio conſtitutionis aut febris ſtationariae deſumta vel a febre annua, vel annuae modificatione, vel epidemico intercurrente, cum febris ſtationariae talis compellatio non competat toto tempore illo, quo dominatur.

vero novae ſubinde naſcantur, ob defectum obſervationum multos annos continuos per industrios medicos eodem in loco capiendarum et cum aliis alibi inſtitutis comparandarum (73); febres vero annuas ſingulis annis conſtanti quadam lege, recurrere ſeſeque excipere, niſi quaedam temporum anomalia coelique mutationes abnormes intercurrant et hanc annuarum ſuccesſionem turbent (74). Sunt autem annuae hae, febris inflammatoria, bilioſa, pituitoſa, quae quaſi principes et febres cardinales conſiderantur, itemque intermittens. Quarum ſingulae tam late patent, ut innumerae aliae febres ad aliquam ex his reduci posſint, ad eam videlicet, quacum major aſſinitas et analogia intercedit. Quaelibet harum cardinalium definitae anni parti respondet, inflammatoria adultae hyemi et veri primo, pilioſa aeſtati vigenti atque inchoanti autumno; pituitoſa vero iſtius fini et initio hyemis, item veri in aeſtatem vergenti. Intermittens in ver atque autumnum cadit. Quodſi tempore anni conſuetum ſuum tenorem non obſervent, alius quoque erit febrium habitus ad anni partes.

Cum Sydenhamus nonniſi duo morborum epidemicorum genera conſtituerat, ac quicunque non ad alterum ſtationarium pertinerent, communi nomine intercurrentes adpellavit, STOLLIUS, quia alterum hoc intercurrentium genus disſimiles plane morbos comprehendere animadvertit, ex illo duo genera effecit, alterum annuarum, quas memoravimus, febrium, intercurrentium alterum, quod et exanthematum contagioſorum familiam, uti morbillos variolas et alios quosvis nec inter haec, neque inter ſtationarias annuasve referendos febriles morbos, uti tusſin convulſivam &c. complectitur.

Om-

(73) STOLLII *Aph.* 28. *ſeq.*
(74) *Aph.* 36. *ſeqq.*

Omnes illos, nec non Chronicas affectiones, seu febriles illae sint, seu febre expertes in potestatem suam redigit princeps stationaria febris, quae sensim increscit, viget atque iterum decrescit, alteri alterius indolis subnascenti locum cedens. Duo autem, quo tempore artem fecit, summa rerum potiti sunt epidemici principes, alter ex biliosarum gente, ex phlogisticarum alter, quorum illum imperio superiorem, ex annua protracta natum, aestivam febrim appellavit.

Videamus jam, num ex variis locis invicem collatis intelligere possimus, quo pacto Auctor hujus stationariae febris genesin mente perceperit.

Cuivis tempestati sua est ad valetudinem ratio, ita ut certam quandam in corpus inducat diathesin, huic illive aegritudinum generi prae caeteris affinem, sive amicam (75). „ Etenim diversum ab eadem causa effectum haud raro videmus temporibus diversis, a potu videlicet perfrigido, siquis eo se proluerat, sudore multo dimanans, atque ex itinere, vel exercitatione quacumque excalefactus (76). Iis enim, qui hyemis rigente gelu aestuanti corpori frigidam ingesserant, pleuritico more pectus inflammabatur, at, qui per aestatem id fecerant, epigastrio gravari, horrere, calescere, fastidire et amaris ructibus vexari coeperunt. Illis sanguis mitti et iterato et largiter debuit, his emeticum dari, cum illos inflammatoria febris corripuerat, hos vero biliosa, ab eadem utique genetrice causa, sed non eadem tempestate. Terrorem novimus nervoso imprimis systemati inimicum. Morbum sacrum inducit persaepe, aut „ alia

(75) *Rat. Med. P.* I. *pag.* 1.
(76) *Pars* II. *pag.* 176. *l. l.*

„ alia ratione nervos irritat, ſed praeter haec, qui terrentur, ea „ potisſimum tempeſtate, ubi bilis imperat, in febres incidere „ bilioſas mox ſolent, ut morbi initium ab eo exacte tempore „ computemus, quo id animi pathema fuerat incusſum; miram „ certe terroris vim vidi in conturbanda bilis officina, morbis- „ que bilioſis, putridis, malignis producendis. Sed et moeror „ diuturnus, et aerumna, et ſomni neſcia ſollicitudo ſtomachum „ et intestina reſolvit et gaſtricos humores vitiat, tuncque maxi- „ me, ſi et anni tempus conſpiret. Inde longa infirmitas non- „ nunquam, at quae aegrum obambulare ſinit, anorexia, exigui „ calores et levicula horripilatio, ſapor amarus asſumtorum et „ marcor nascitur, eaque rerum facies, ut chronicam febriculam „ bilioſam non inepte compelles. Quibusdam tandem ea diathe- „ ſis in febrim erumpit luculentam bilioſam, malignam, pituito- „ ſam, artis plerumque praeceptis non auscultantem. Feminas „ ſic aegrotare prae caeteris obſervavi easque ex infima plebe, „ quas inexorabile fatum et conjuge orbaret cum eoque et vitae „ praeſidiis, alendae numeroſae proli non jam pares. Magis noxiam „ iram mihi videor obſervasſe per aeſtatem, quam hyeme ſoleat. „ Non enim infrequens est audire homines, qui, cum evidenti „ bilioſa febre teneantur, morbi dies ſupputent a praegresſa gravi „ ira. Id ni fallor aeſtate audivi, vix unquam aut nunquam hye- „ me (77)." Quodſi quaedam tempestas in alia non ſua tem-

pora

(77) Notum est, iram potisſimum in ſystema hepaticum agere, imo in hoc ſae-pius ejus cauſam quaerendam esſe ferunt, exemplo ab hominibus cholerici tempera-menti petito, in quibus hoc ſystema prae caeteris viget. Porro novimus, hoc aeſtivo calore praecipue affici ac debilitari. Quid mirum igitur, quod bilis officina et facilius et gravius hoc tempore ſtimulis mentalibus laedatur.

pora protrahatur, ut totus annus fere ſibi ſimilis ſit, toto hoc anno unica febris, quae certa alia anni parte regnare viſa est, ſin minus ſola, at praecipua tamen imperitat febrisque ſtationariae dignitatem conſequitur. Sic v. gr. bilioſa febris ſaepe aestatis terminos excedit porrigiturquè per ſerum autumnum atque hyemem fortasſe molliorem; verno autem tempore nondum plane emortua reviviſcit ac proxima aeſtate denuo dominatur reſumtis viribus; et ex annua fit ſtationaria (78). Atque ejus originis videtur fuisſe prima, quam memorat Auctor, ſeu bilioſa conſtitutio. Anno (79) enim 1775 hyeme praevaluit tepida aëris conſtitutio cui aeſtivo tempore inſecuti calores magni, in autumnum usque protenſi, ultimis emorientis anni temporibus et nascentis (1776) primis non ea, quae ſolent, frigora adferentibus; et, quanquam a decimo quinto Januarii ad finem usque rigidisſima ſaeviit hyems, attamen, cum ineunte Februario menſe hanc denuo exceperit aura mollis, auſtrina, quam praegresſa tempeſtas in corpus induxit diatheſin, non ita prorſus delere potuisſe videtur, quin Martio jam menſe pleuritides, ac peripneumoniae ſubortae ſint, bilioſi vitii proles, emeſi profligandae. Cum tamen ſub iisdem aëris qualitalibus ſenſibilibus diverſae ſubinde ſtationariae febres obſervatae ſint, adparet, alias quoque dari atque hucusque incognitas febrium popularium cauſas (80). Hae vero, quaecunque fuerint, communes ſint oportet et in eo conveniant, ut communem illam diatheſin commune illud, ut ita dicam, temperamentum inducant.

Quae-

(78) *Aph.* 351.
(79) *Part.* I. *Rat. Med. pag.* 1. *ſeqq.*
(80) *Aph.* 35.

Quaenam Auctor circa rem epidemicam memoriae prodiderit, jam exponendum; in qua re ita versabimur, ut auctorem ducem secuti, primo loco, quae de biliosa febre notaverit, quoad ejus indolem, dominium, mutabile ingenium, aetates &c. simpliciter ac breviter exponamus iisque subjungamus, quae de ea, quae huic succesfit, phlogistica Constitutione memoraverit.

Non una est secundum STOLLIUM morborum biliosorum origo, vel enim a crudo ventriculi et intestinorum apparatu, five biliosus, five alius quicunque fuerit, quem communi nomine bilem vocavit, ob languentem ventriculi facultatem vario modo depravatam suboriuntur (81), vel fiunt, ubi bilis elementa, seu humor biliformis in sanguine abundant, nata sic plethora biliosa, quae polycholia dicitur (82). Haec, nisi vel natura vel arte tollatur, copia, consistentia, acore vario, metastasi morbos infinitos facit, et ad speciem differentes, pro vitio nempe polycholiae vario et varia affectae partis natura, functione, atque saepe febre, salutari conamine, mota ad ventriculum et intestina deponitur. Multis videri posset haec Auctoris febris biliosae aetiologia humorum, quam odio habent, redolere Pathologiam, ast hanc litem, quam componere meum non est, missam faciens, ut probem, non eam fuisse STOLLII sententiam, ut omnes hujus generis affectus a solis humoribus provocari crediderit, sequentem hunc locum attulisse liceat: „ persecutanti singulorum hucusque narratorum rationes „ et eorum, quae paulo post recensebimus, id fortasse satisfaciet, „ quod prava materies praecordiorum non eas solum partes, qui- „ bus

(81) *Rat. Med. P.* I. *p.* 22. videtur igitur et febrem gastricam, quam vocant, huc retulisse.

(82) *Aph.* 310, *seqq.*

„ bus circumfcribitur, fed etiam remotius pofitas et confenfu „ quodam per obfervationes certo, etfi fors nondum fatis expli- „ cato, inter fe communicantes afficiat; aut fi hoc displiceet, id „ forte verofimile erit, particulas faburrae reforbtas partem, ad „ quam delatae haeferint, vellicare et quacunque ratione male affi- „ cere. Verum finita vomitorii actione effectus falutaris non raro „ citius fequitur, quam ut alibi, praeterquam in ventriculo mali „ fomitem quaeras (83)." Quodfi verum est, uti est verisfi- mum, aliam esfe in alio homine corporis naturam, ita ut raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habeat et vigentem aliquam ac praevalentem, unde temperamentorum idea nafcitur, ecquid abfurdum ftatuisfe videbimur, fi vario fub coelo eas et partium folidarum et humorum fieri mutationes credamus, quibus in refpondentem huic diathefin inclinent, et confenfus fimul variarum partium aut praeter modum increfcat, aut arctioribus, quam oportet, finibus occludatur, ita ut tempore biliofo fystemati hepatico et gastrico cum aliis quibusvis partibus fummum fit commercium, phlogistico tempore fystema fanguiferum praevaleat ac facilius nocentis cujusvis rei vim experiatur &c.

In prima nunc STOLLII Conftitutione febris biliofae et gastricae indolis regnum occupavit caeterisque omnibus morbis jura dedit. Et primo quidem, brumalis phlogoseos vi fracta, Martio menfe pleuritidis et peripneumoniae perfonam egit, fociis tamen gastricis fymptomatibus veram indolem prodentibus. Haec emefi feliciter tentabatur, qua neglecta, five detracto fanguine, vel aliis quibusvis remediis adhibitis, delirium aliaeque fympathicae affectiones fu-

(83) *Rat. Med. P. I. p. 28.*

ſubortae ſunt, et maligna facta viſa est. Saepenumero huic ſe junxit phlogoſis nondum ejecta, aut rheumatica quaedam ſubſuit complicatio, auxiliis utrique malo idoneis profliganda. (84) Plurimi fuere, quibus intra catarrhum res conſtitit, qui a peripneumonia aut pleuritide ſola mali vehementia differebat et hanc plerumque praecedebat. Eadem tempeſtate, frigore caloreque ſeſe invicem excipientibus, hoc tamen praevalente, quum et rheumatismi inflammatorii grasſabantur, rheumaticam indolem ſaepe mentita est bilioſa febris, ſaepe quoque compoſitum inde morbi genus natum est. Etſi plerumque pectus afficiebatur, erant tamen aliqui, qui febre continua remittente laborabant. Haec plerumque ex bilioſo et inflammatorio vitio coaluit, ſed ſic, ut pro corporum ratione modo illud dominium obtineret, modo hoc. Hinc varia quoque methodo pugnatum fuit, ſive emeſi, ſive ſanguinis misſione, ita ut modo Emeticum venaeſectioni, modo haec illi praemitteretur, pro ratione praevalentis vitii. Majus menſis intermittentium prae reliquis ferax fuit, quae plerumque tertianae fuere, ſolventibus et vomitu curatae. Fuere et continuae remittentes typi tertianarii et aliae, quarum exacerbatio nulla certa periodo rediit. Ejusdem omnes bilioſae indolis eadem methodus ſanavit. Quae autumnali tempore invaſere febres, cum continuae remittentes, tum intermittentes, licet natura haud disſimiles, difficilioris tamen ſanationis auxiliis validioribus indiguerunt. Obſervavit autem STOLLIUS, quartanas eas, quae aut remitterent citius faciliusque dicta ratione curari, quam illae, quae paroxysmos habuere breves, ſed inviolabili lege modoque redeuntes, quaeve inter-

(84) *R. M. P.* I. *p.* 7. de hac conſtitutione cf. ejusdem Operis *Pars* I. *et* II.

termedio tempore aegro nil, aut parum incommodi reliquerunt. Videntur enim hae ad legitimarum naturam accesfisfe, Corticis Peruviani capacem. Eadem conftitutio Augusto menfe dyfenteriam peperit, quae longe lateque grasfata est. Nonnulli iisdem, quibus dyfenterici folebant, fymptomatibus affecti, oris amarorem, cardialgiam, ventris tormina, mictum difficilem, fed alvo, aut naturali, aut fuppresfa, querebantur. Colicam hanc biliofam, ejusdem cum dyfenteria profapiae, jugis potus folvens datumque antimoniale Emeticum cito et tuto abfterfit. Declinante anno morborum bilioforum dominium contrahebatur, et rheumata et inflammationes complures nunc feorfim nunc junctis viribus afflixerunt. Hanc vero per emeto-catharfin medendi methodum, qua hujus temporis ftationarium aggresfus est, in natura ipfa fundatam ab ipfius naturae obfervatione fidaque interpretatione petiisfe, probant, quae habet *Part.* I. *pag.* 40: „ Lipyriam febrem, quae ex bilio„ farum familia est, non folvi nifi fuperveniente cholera, notavit „ Hippocrates. Id, quod natura fui confervatrix falutari moli„ mine nonnunquam fola facit, medicamento nos praeftitimus ca„ thartico-emetico, *cholera* quafi *artificiali* cum bonis aegro„ tantium rebus excitata." et quae leguntur *pag.* 51. ibid. in defenfionem pleuritidis biliofae ejusque curationis: „ Choleram Bal„ lonio laudatam, tanquam veram pleuritidis biliofae crifin, anti„ moniali Emetico ars naturae imitatrix movet.

Eodem fenfu et alio loco (*Part.* III. *p.* 44.) choleram Augusto natam Emeto-catharticum medicatricis naturae, morborum fcilicet aeftatis graviorum antidotum, vere non minus, quam ingeniofe dixit (85). In-

(85) Quam probe autem noverit hujus curationis limites et rationalem Emeticorum

Ineunte anno 1777 tempore frigido hyemali phlogofis late imperitabat (86). Phlebotomiae ufus creberrimus hac tempeftate, at perquam rarus Emeticorum. Haec phlogistica diathefis inclinato Februario menfe, post magnas frigoris calorisque vicisfitudines in catarrhalem abiit. Catarrhi hac tempeftate a phlogistica corporis totius, fed praeprimis pulmonum intemperie nafcebantur, erantque aut inflammatorii aut fubinflammatorii. Verno tempore rheuma invafit, originis gaftricae. Cafus et originem et medelam detexit, cum in ischiade id genus, exhibito fulphure aurato alterandi fcopo, multam bilem cum levamine evomuit aeger. Pleuritica Januarii labes Februario menfe in catarrhofam, menfe Martio in pituitofam pulmonum diathefin, quae fimul in abdomen incubuit, defiisfe videbatur. Quemadmodum febris catarrhalis adultos viros praecipue exercuit, fic tusfis convulfiva aetatem te-

rum ufum, cujus Recentiores fe inventores jactant, teslantur, quae *Part.* II. *p.* 132. fcripfit. » Id asfero non propinandum Emeticum esfe usque dum os non amplius » amarefceret et lingua mundetur, nec ventriculus doleat. Haec enim fymptomata » fub initium morbi pravae illuviei debebantur, quae eliminatis licet fordibus nihilo- » minus perftant, non jam a malis contentis generata, fed a languidisfimo ventriculo » et ab introrfum verfo humorum falivalium ac biliofortum nifu corundemque fecre- » tione et excretione ob pharmaci ftimulum adaucta. Fo in cafu firmare fystema » gastricum annifus fum et hiantia vafa adducere remediis amaricantibus et cortice » imprimis Peruviano." et *Part.* IV. *pag.* 331. *feq.* » Vomituritio in initio febrium » acutarum praecipue inflammatoriarum aeque male vomitorio curatur, ac diarrhoea » purgante in acutorum principio. Quodfi materia non turgeat, vomitus et vomitu- » ritio venaefectione eaque repetita tollitur, ficut diarrhoca fymptomatica in acuto- » rum initio, fi primae viae non laborent faburra quadam, optime pariter per V. S. » curatur. Ratio est, quia juxta phrafin Sydenhamianam radii inflammatorii ad in- » testina, dicerem ego etiam ad ventriculum introvertuntur. Patet etiam, quare ve- » naefectio in diarrhoeis et dyfenteriis faepe eximiam opem praeftet, rheo aliisque » id genus frustra adhibitis, fi fcilicet diarrhoca illa aut dyfenteria nil aliud fit, » quam febris acuta inflammatoria." ———

(86) Cf. *l. l. P.* II. *p.* 1. *feqq.*

teneram et irritabiles femellas, eandem, si rei caput spectes, medicinam haec tussis puerorum expetiit, quam catarrhus adultorum, a quo, STOLLIO teste, accidentaria sola modificatione distaret. Eodem tempore inter feminas chloroticas febris lenta nervosa grassata est, in qua vomitionum spontanearum magna fuit utilitas. Majo mense iterum caput extulit febris biliosa, ac pituitosae febri primo se junxit comitem, postea vero sola incessit. Aestate continuae biliosae vulgares erant. Hae, praesertim Julio mense, variis symptomatibus ludere et varias in hominibus singulis partes afficere visae sunt. Hinc phrenitides, ophthalmiae, parotides, strumae, anginae, peripneumoniae, pleuritides, haemoptoë, dolores rheumatici, colicae, diarrhoeae, dysenteriae, urinae difficultates, febres continuae remittentes, intermittentes, petechiales, miliares urticatae, scarlatinae et paroxysmi hysterici grassabantur. Mirifica symptomatum varietas, sed ab una versipelli bile profecta (87). Morbilli inter adultos frequentes fuere atque in omnibus febri morbillosae alia se sociam junxit, aestiva nempe, sive biliosa, quae variolas etiam a cursu assueto dimovit. Et colicas biliosas fuisse refert Auctor et dysenterias omnes, ac puerperas quoque eadem febre correptas esse. Autumno vero popularis aestatis febris diuturna magis, lenta et tarda fieri coepit et sub falsa benignitatis specie aegrum diu affligere, sero tandem eidem valedicere, cum judicium subiret laboriosum et tardum, non jam biliosa, sed bilioso pituitosa dicenda. Eadem medicina, quae simplici biliosae febri, ast tardior sanatio. Ejusdem originis fuere tusses sympathicae, quas stomachicas vocat Auctor. Appro-

(87) *l. l. pag.* 36.

propinquante hyeme major identidem phlebotomiarum necesſitas, phlogoſi febri principi juncta (88).

Quae triennium regnarat biliosa conſtitutio, anno 1778 in regni societatem adſcivit phlogoſin, anno vero 1780 imperio abdicavit. En horum temporum brevem historiam (89).

Ultimis anni decedentis menſibus biliosa febris, quae per aeſtatem et partem quandam autumni viguit, viſa est exſpirare. Nihilominus non ita emortua ſub hujus anni initio, ut non aliquando vires colligeret quaſi novas, atque aut ſola, aut in conſortio phlogoſeos aliquando inſiliret. Nulla certe per haec tempora febris occurſabat, quam quis ſimplicem ſinceramque inflammatoriam diceret et putrida biliosaque labe carentem. Morbi Januario menſe fuere pleuritides et peripneumoniae commixtae, ſive bilioſo-inflammatoriae, et aegrotantium paulo major copia, quam ſub anni elapſi exitu. Februario menſe multae pleuritides et peripneumoniae nothae, aut ſolae, aut ſuperinducta phlogoſi compoſitae. Veris initio morbi plures pituitoſi generis, alii ſed pauciores phlogistici, unde peripneumoniae et pleuritides nothae et rheumata gastricae originis; horum affectuum peripneumoniae nothae fuere epidemici principis ſatellites, uti et catharri asthmata et abortus; crebrae etiam haemorrhagiae uterinae, quae vel abortientibus acciderunt, vel tempore menſtruae purgationis. Morbos hos, utut disſimili facie in publicum prodeuntes, eadem de ſtirpe ſatos, eodem quoque pabulo enutriri, communis therapeutica methodus pari eventu adhibita demonſtravit. Provectiori vere pleuritides plures bilioſo-inflammatoriae his morbis ſe junxerunt.

Ac-

(88) *l. l. pag.* 231.

(89) *P.* III. *pag.* 1. *ſeqq.*

Aestate febres intermittentes et remittentes pleraeque solis solventibus et dein emesi curatae, morbilli passim, ob febrem aestatis complicatam, perrarae cholerae, sanatu facillimae, cum se ipsae ferme sanarint; cholera enim plerorumque morborum aestivorum remedium. Autumnali tempore plurimae dysenteriae, quarum principia fuerunt sicca tormina, adolescentis morbi quasi conatus quidam. Rheumata plurima, vix ullae febres continuae haeque phlogisticoterae.

Januario mense 1779, tempestate gelida, sicca, pleuritis inflammatoria et rheumatico-inflammatoria, praecipue inter feminas, febres inflammatoriae, saepius putridas mentitae, rheumata, defluxiones, febris rheumatica, quae subinde dysenteriam referebat, sananda, ut rheuma intestinorum phlogisticum. Verno tempore a boreali frigore sicco multi pleuritici facti, frequens quoque fuit febris putrido-inflammatoria. Stimulantia quaevis male cesserunt, profuere vero antiphlogistica et alvus pronior, crebro enemate sollicitata. In incisis cadaveribus latentes in thorace vel abdomine inflammationes.

Aestatis initio frigidiori plures febres rheumaticae; adfuit una et bilis et phlogosis. Erysipelata phlegmonodea: Julio mense dysenteriae inflammatoriae plerumque et bilioso-inflammatoriae, quales et febres hac tempestate grassantes: colicae, defluxiones crebrae variaeque. Erant hi morbi fere omnes cognati et ejusdem materiae, sed forma diversi. Augusto mense dysenteriae plurimae rheumaticae, rheumatico-biliosa, pleuritides ejusdem genii, forma sola differebant: rheumata variarum partium. Dysenteriis et reliquis omnibus adhaerebat quid phlogistici, venaesectionem at parciorem postulantis. Dysenteriae autumno inflammatoriae et subinflammato-

riae, rheumata ejusdem indolis: haec sedem in thorace, collo et capite fixere itemque in artibus superioribus inferioribusque, raro autem in abdomine.

Autumni initia temperiem vernam aemulabantur eamque borealem, morbi quoque vernales fuerunt. Constitutio fuit phlogisticotera, quam aestate praegressa aliisque tribus autumnis proxime elapsis. Octobri mense febres pituitosae et lentae nervosae, cumque meridiana tempora multum incalescerent, horis matutinis et vespertinis urente gelidoque vento perflatis, dysenteriae quasi postliminio recurrere videbantur, antiphlogisticis solis obtemperantes. Novembri febres rheumaticae primo phlogisticae, dein vero tempore pluvioso humido manifestiora illuviei biliosae signa, unde major iterum emeticorum usus fieri coepit. Exeunte anno, tempestate humida, tepida, arthritides et rheumatismi ἐπιδημικώτατοι, quartanae pertinaces, atque ipsa scorbutica labes videbatur aliquantum epidemica esse, ob assiduum atmosphaerae humorem.

Exordium anni 1780 frigidum siccum fuit (90). Pleuritides multae, pravae, indomabiles; omnes morbi habuere quid pleuritici. Phthisicorum complurium mortes, quas extispicia pleuriticas et peripneumonicas declararunt. In plerisque morbis magna ubique intolerantia fuit remediorum vel levissime stimulantium. Morbilli inflammatorii: etiam chronicis malis phlogisticum vulgare vitium se junxit. Verno tempore inflammationes thoracis, et simplices verae, et compositae rheumaticae, dysenteriae, rheumata, catarrhi inflammatorii generis. Morbi aestivi fere omnes fuerunt rheumatico-inflammatorii cum aliquo vitio bilioso. Varia fuit ejusdem ma-

(90) *l. l. Part.* IV. *pag.* 37. *seqq.*

materiae morbificae fedes, plerumque tamen pectus occupabat, ut pleuroperipneumoniam rheumatico-inflammatoriam referret, aut febrem catarrhalem fubinflammatoriam. Quibusdam altius ad intestina defcendit, ubi aut colici dolores, aut dyfenteriae, aut diarrhoeae leviter torminofae vifae funt. Autumno phlogofis major in dies, febres putrido-inflammatoriae venae fectionis et repetitae patientes, ftimuli impatientes, dyfenteriae magis inflammatoriae fola V. S. curandae: inflammationes vifcerum cum labe biliofa: febres intermittentes, fubinde inflammationibus thoracis junctae: febres continuae, aut remittentes, etfi ad fpeciem non raro faburrales aut putridae, re ipfa tamen inflammatoriae, imo quartanae fubinde cum diathefi inflammatoria: ultimis anni temporibus inflammationes erant diuturniores et cum pituitofo vitio complicatae. Peripneumoniae nothae, quibus inflammatorii quid accesfit. Intermittentes phlogofi expertes cortice indigebant prae alio quocunque remedio: hoc tempore omnes febres pituitofae magis: multae hypochondriacorum querelae: chloroticarum plures febricitabant.

Anno 1781 hyemis frigora moderata fuere, fubinde et humidus calor. Inter feminas pituitofae febres fimplices, inter vetulas peripneumoniae nothae cum et fine phlogofi: paucisfimae febres pituitofae inter viros, plures autem inflammatoriae aut mixtae: pituitofae pro putridis habitae et ftimulantibus tentatae mali moris evafere et exhibuere petechias. Plures nervorum morbi, quam hac tempeftate invadere folent: multae chloroticarum querelae: epilepfiae habituales nunc difficiliores et crebriores: feminae aegrotae multo plures, quam viri: convalefcentiae tardae, tumores pedum oedematofi, diuturni, post leves morbos, maxime post rheumata: phthifici et haemoptoici ex inflammatoria pulmonum dia-

thesi pituitosa haec tempora optime tulerunt. Peripneumoniam notham hoc tempore interdum pituitosa sive notha phthisis excepit. Plures morbi et plures affectiones morbosae, languores, apepsiae, bradypepsiae, lassitudines inter feminas, quam inter viros: vere ineunte synochi imputres. Quae autem autumno praeterito regnabat febris annua pituitosa, per hyemem totam protensa ver attigit primum, quo tempore inflammatoria hinc inde diathesis suborta est. Haec nova diathesis in viris in morbum erupit inflammatorium simplicem, antiphlogistice curandum, idem feminis illis accidit, quae habitu propius ad viros accederent; in mollioribus vero, chloroticis, pauperibus deleta nondum pituita fuit, cum aliquid inflammatorii nasceretur, hinc morbus compositus ortus est, inflammatorio-pituitosus, nempe ex annua nova inflammatoria febre et ex pituitosa, quae priori autumno annua fuit, tandemque superata hyeme stationaria facta est in sexu saltem sequiori. At vero, cum inflammatio antiphlogistica posceret auxilia, pituitosa radices altiores egit, in lentam nervosam abiens, subinde miliaribus stipatam.

Aestas praecalida sicca febri pituitosae stationariae biliosi quid adjunxit, cui, quum et inflammatoria primi veris hucusque producta accessisset, febres omnes compositae sunt ex stationaria pituitosa et duplici annua, inflammatoria nempe et biliosa. Frequens febrium in intermittentes mutatio, quarum indolis hysterica passio quoque particeps fuit. Augusto mense, post magnos aestus sine vento febres putridae subortae sunt, quae primo tertianae aut quotidianae videbantur, mox autem continuae.

Autumno febris stationaria pituitosa in veram putridam mutata, de-

deinde biliosa remittens atque intermittens tertiana facta est. Frigido humido adulto autumno dominante, ex intermittente febricitantes cujusvis aetatis fere in mala hydropica lapsi sunt. Asthmata multa, melancholiae, febris pituitosa et peripneumonia notha frequens, puellae multae chloroticae factae sunt.

Duae solum hujus anni fuere conditiones, pars prior scilicet in autumnum usque calida valde et sicca fuit, altera vero frigida simul et humida. Ubique universalis atonia fuit. Accedente tempore frigido et humido febres putridae saburrales ubique grassabantur, ubi primaria fuit indicatio per epicrasin blande purgandi et eccoprotice, ac simul restaurandi lenioribus tonicis.

Initio Anni 1782 praevaluit frigus humidum. Nulla hucusque fuerat determinata formataque aut stationaria aut annua, sed commixtum quoddam compositumque genus febrium invadebat. Fuit enim quid pituitosi, inflammatorii, catharrhalis, rheumatici: hinc methodus varia, composita, indirecta, aut symptomatica. Haec composita febris Februario mense post gelu magnum et siccum frigus exspiravit. Hac tempestate inflammationes plures, autumnales morbi sanati sunt.

Ver primum frigidum serenum ut plurimum, febres intermittentes vix ullae: a Februario inde febris quaedam in primo stadio inflammatoria, in secundo biliofo-saburralis increbuit, *febris verna depuratoria* Auctori dicta, cui saepe inflammatio hepatis, aut peripneumonia, aut pleuritis accessit. In primo stadio antiphlogistica profuere, in altero alvi ductio per eccoprotica. Mense Februario stadium inflammatorium erat gravius diutiusque altero, at, circa Martium mensem medium, stadium saburrale eminuit, contrahebatur inflammatorium. Frequentes erant obstructiones lentae systematis hepatici.

Num-

Numquam tot visae sunt tam chronicae, quam acutae hepatis aegritudines (91).

Ingrato labore has ex Auctore excerpsimus breves annorum historias, ut sic, quasi ob oculos posita, delineata ab ipso suae doctrinae imagine, intellectu facilius nobis esset, quanta hac in re praestiterit STOLLIUS, quantopere nos auxerit, ea, quae circa Epidemicam hanc Constitutionem versatur, scientia.

Neque profecto magis epidemicae hujus legis vis elucet, quam ex egregia illa STOLLII aestivae febris descriptione. „ In hac „ enim videmus, ut hujus verbis utar, febrem aestivam mille „ formas ludentem, et apoplexias, et phrenitides, et ophthalmias, „ parotides, anginas, et pulmonum affectus graves, et rheumata, et „ colicas, convulsiones, et paroxysmos hystericos, et efflorescentias, „ tanquam ejusdem fontis in diversa delapsos rivos, nunquam sic- „ candos, nisi ipsa scaturigine resiccata. Chamaeleon hic versi- „ pellis, aestiva bilis, multifariam imponere iis solet, qui an- „ nuum illum febrium circuitum et epidemiarum indolem semper „ eandem ad ipsos aegrotantium lectulos non penitissime fuerint „ edocti" (92).

Quicunque egregiam hanc Stollianam morborum aestivorum historiam didicerit, morborum omnium aestatum notitiam habebit, in quibus, si qua fuerit diversitas, haec accidentaria tantum, aut ad formam pertinebit, ad decursum, typum, partem affectam, efflorescentias, crises, complicationes, discrimen, aut ad numerum, praematurum aut tardiorem instante aestate ingressum, seu fugam sub autumnum hyememque citiorem, magisve diversis aestatibus di-

(91) *l. l. P.* VII. *pag.* 28.
(92) *l. l. P.* II. *pag.* 125.

dilatam, ipſa morbi natura non mutata. Hanc popularium per aeſtatem morborum ſimilitudinem vel ipſa Hippocratica peſtilentis epidemiae descriptione probari ſcripſit STOLLIUS, remotisſimo licet ſub coelo facta et quamplurimos ante annos (93). „ Etenim „ et ignes ſacri quam plurimi numerantur et faucium dolores et „ oris fervida ulcera, lippitudines humidae, longae, diuturnae „ cum doloribus, febres ardentes, ſoporoſae, anxiae, horridae, „ per vices exacerbatae, phreniticae cum alvo turbata ſecesſibus cru- „ dis, tenuibus, multis, tubercula foris, intus, circa inguina, „ carbunculi per aeſtatem multi &c. Circa alvum multis multa „ et nociva acciderunt, tenesmi, lienteriae, dyſenteriae, ſecesſus „ bilioſi, pingues, tenues, aquoſi, tormina et volvuli maligni. „ Multa praeterea alia febrium genera grasſata ſunt, tertianae, „ nocturnae, continuae, longae, erroneae, anxiae, inconſtantes, „ ubi alvus plurimis turbabatur." Sed et aegrorum hiſtorias, quae deſcriptae epidemiae ſubnexae leguntur, eandem ad amusſim imaginem ſiſtere, quam ipſi obtulit febris aeſtiva, bilioſa, pituitoſa, putrida malignaque ſive ſuapte ingenio, ſive ob remediorum neglectum, vel ſiniſtrum eorundem uſum, contendit (94).

De ſumma Conſtitutionis Epidemicae in caeteros quoscunque morbos poteſtate, quae docuerit SYDENHAMUS, ſupra vidimus. Nemo vero, nostro quidem judicio, de hujus in ipſos quoque ſporadicos morbos imperio tam egregie ſcripſit, quam STOLLIUS,

(93) Hujus tamen conſtitutionis morbi magis putridi generis fuisſe videntur, quos a bilioſis ordine diſtare quidem, familiae vero ejusdem esſe asſerit STOLLIUS *Rat. Med. T.* III. *pag.* 64.

(94) *l. l. pag.* 127. *ſeq.*

LIUS, imprimis illo loco, ubi de febris aestivae complicatione cum aliis morbis egit, quare inde quaedam hisce subjungamus. „ Epidemicum morbum aegritudinum, inquit, ferme quorumcum- „ que, quae per id tempus sporadice occurrant, utut toto coelo „ ab se invicem et a communi illa temporis labe differentes com- „ militonem agere atque eas efficere multum anomalas et non „ raro mortiferas, quae solae absque epidemici consortio fuissent „ perbenignae, argumentis demonstrare innumeris possum, cumu- „ lata quotidie observatione collectis.

„ Cum epidemica constitutio quoscunque alios morbos suum- „ quasi sub jugum cogat, suaque illis jura dictet, contingit, ut, „ quem morbum hoc tempore hac methodo sanaveris, alio sanes „ longe alia. Etsi enim aegritudo obveniens quavis anni tempe- „ state atque omnibus annis et ubique locorum omnino eadem „ sit atque eandem etiam, si sola esset, medendi rationem depos- „ ceret, tamen, cum saepenumero periculi plus ab epidemico „ temporis vitio, quod aliud atque aliud esse solet, quam ab „ ipsa hac sporadica affectione nascatur, alia erit atque alia eidem „ effectui ratione medicandum. Ea labis epidemicae scientia alios „ insuper usus habet eosque communi opinione multo majores. „ Prima enim nascentium morborum exordia nondum forte spe- „ cificis notis insignita, atque adhuc ambigua ex anni nota con- „ stitutione fortunato augurio praecipimus, et imminentis periculi „ vim occupamus. Multi per eos menses, queis bilis praeerat, „ aut vulnerati, aut contusi, aut ulcerati, aut artibus confractis „ nostrae curae concredebantur. Cum omnia, quae utilia esse „ noveramus, secundum artis praecepta et sollicite fierent, et „ sanatio pulcre procederet, en repente febriculam identidem

„ gran-

„ grandescentem, typo vario, et, si ad omnia animum advertaris, „ aestivae febri, cujus indolem luxuriantem supra recensui, om- „ nino simillimam. Interea quae pure bono et carne laeta huc- „ usque floruere vulnera, ichore tenui, cinereo, flavo viridique „ madescere, carnibus pallidis, livescentibus, nigris. Artus ip- „ sos tumor ardens cum pallidiusculo rubore prehenderat, late „ diffusus et vesiculis, qualis ignis admotus facit, stipatus. Ve- „ rum nemo inde gravius mulctabatur, cum medicinam mox ipsi „ principi febri promtam opponeremus et efficacem. — Quos lap- „ sus ab alto, aut vis externa laeserat, hi et eo laboraverant „ affectu, qui illatae injuriae debebatur, et paucos post dies vel „ inflammatione, si ea forte tempestate inflammationum imperium „ viguit, vel vero ex febre biliosa aegrotabant temporibus huic „ morbo obnoxiis. Ea commixtio morborum me diutius latuit „ consiliique subinde inopem fecit, cum quae uno tempore mul- „ tum profuerunt, alio incassum adplicari, imo etiam nocere vi- „ derem in morbo, ut rei inscius tunc arbitrabar, ad amussim „ eodem (95)."

Cum sub Constitutione aestiva systema digestionis et imprimis stomachus et hepar viderentur pati, atque sensu praeter sanitatis modum aucto, arctiori quasi consuetudinis vinculo cum reliquis corporis partibus tenerentur, ut inde multiplices affectiones sympathicae et fallax nasceretur morbi facies et varia forma, sub altera, quae sanguinem vehunt vasa morborum vim experta sunt totumque corpus in suas partes abduxerunt. Hujus nec minor saevities, nec formae mutatio rarior, nec major faciei fides. Jam cu-

(95) *l. l. P.* II. *pag.* 146.

cujuscunque validioris medicinae ſumma intolerantia, quaeque antea, altera vigente conſtitutione, ne vel minimam ſanguinis jacturam ferebant, multiplices morborum formae, ſive pleuritides, catarrhi, rheumata, colicae, dyſenteriae, ſive febres cujuscunque typi, certo ac tuto emeſi aut catharſi ſanandae, nunc, licet ſubinde putridam indolem mentitae, nonniſi antiphlogisticis cesſerunt auxiliis. Quid quod et in frigidisſimo hydrope et ictero et conſummata phthiſi non rara venaeſectionis necesſitas, ac vel in ſcorbutico corpore crusta pleuritica.

Non tamen ſubito, ſed per gradus quaſi haec mutatio facta est, ita ut primo mixtum quoddam febrium genus exortum ſit, utriusque et gastricae et phlogisticae naturae particeps, quod quidem plerumque fieri ſolet, vel et ambae ſimul ſolitariae incesſerunt. Verum hic imprimis ſummum requiritur artificis judicium et plurimus rerum uſus, cum morbum alterum ab altero distinxisſe ſaepe ſit difficillimum, et ob mutabile ac fraudulentum morborum ingenium, et ob proſperos ſubinde in uno alterove caſu cujusdam medelae eventus. Atque haec ſunt illa tempora, quibus cunctatorem agere medicum jusſit SYDENHAMUS. Hujus rei exemplum nobis offert hiſtoria anni 1778, quo, ſubrepente phlogistica labe, necdum ejecto penitus morbo bilioſo, nullam febrem occurſasſe refert Auctor, quam quis ſimplicem ſinceramque inflammatoriam diceret ac putrida bilioſaque labe carentem, pleuritides etiam et peripneumonias fuisſe commistas, bilioſo-inflammatorias (96). Ita etiam de anno 1782 legitur, nullam hucusque determinatam formatamque fuisſe aut ſtationariam aut annuam, ſed commixtum quoddam febri-

(96) *l. l. P.* III. *pag.* 4.

brium genus invasisse, fuisse biliosi aliquid, pituitosi, inflammatorii, catarrhalis, rheumatici, atque methodum hinc variam, compositam, indirectam, aut symptomaticam (97).

Neque hae lege solum quae stationem habent febres, verum et annuae sibi succedunt invicem. „ Hinc temporibus, inquit STOL- „ LIUS, inter binas Constitutiones intermediis, peculiarius attenden- „ dum, agendum majori cautela, subinde cunctandum, neque ad „ heroica et decisiva remedia facile confugiendum, nisi res aperta „ ejusmodi auxilia petat. ——

„ Cavendum est saepenumero a se ipso, ne fortunatae videlicet „ celeriterque hucusque peractae curationes et quaedam in dijudicando promtitudo, felici artis exercitio comparata, in eo ancipiti Constitutionum transitu nos decipiat, ne quid aequo pro- „ perantius, aut tumultuosius moliamur.

„ Aegrum amisi ex febre bilioso-inflammatoria decumbentem, „ quem, si plures praemisissem sanguinis missiones (ternas in- „ stitui) et serius propinassem emeticum, fors conservassem. Ve- „ rum prosperi eventus antibiliosae methodus me aut minus at- „ tentum fecerant ad inflammationem commixtam, aut, utut at- „ tentum, nihilominus deceperunt. Adeo oculatum oportet esse „ et contra se ipsum et contra faustas curationes. Qui praxin „ medicam alicubi orditur, hos Constitutionum fines contiguos „ transitusve prudens vitabit, suaeque famae magis consulet, si „ tempus anni seligat, quod morbos profert sinceros effictosque „ atque indaginis hoc ipso minus tortuosae (98)."

Fi-

(97) *l. l. P.* VII. *pag.* 22.

(98) *P.* II. *pag.* 236. Huc etiam referenda puto, quae circa morbos anni 1730 notavit HUXHAMUS. Regnaverant nempe post tempus Januarii boreale Februario men-

Fiunt autem hae annuarum ſucceſsiones conſtanti quadam lege et ordine, ſi nempe anni tempora naturae ſuae repondeant. Ita vere exacto ſub exordium aeſtatis morbos inflammatorias ſenſim pedes quotannis retrahere, deſertamque ab iis ſtationem bilioſos occupare, atque eo tempore, quod utramque hanc anni partem, ver ſcilicet et aeſtatem nectit, ſaepe mixtum quoddam morborum genus dominari, ex verna phlogoſi et aeſtiva bile compoſitum, docemur *Rat. Med. P.* I. *pag.* 71. *P.* II. *pag.* 129. Hiſce et alia febris ſe jungere ſolet *pituitoſa* STOLLIO dicta, ſexui ſequiori imprimis infeſta, et illis viris, quorum corpora feminei quid habent, quae nunc ad catarrhalem indolem, nunc vero ad nervoſam magis accedere videtur (99.) Plerumque nervoſae hae febres inter conſtitutionem aeſtivam et hyemalem, dummodo ſuum haec tempora tenorem ſervent, intermediae jacent, ut uno extremo bilioſos aeſtatis morbos contingant, altero hyemis inflammatorios (100). Hinc nova ſaepe ſebrium complicatio. Ita enim pituitoſa haec febris

ſe pleuritides et peripneumoniae verae inflammatoriae cjusdemque familiae colici morbi, quibus miſsio ſanguinis profuit maxime. Peripneumoniae elapſo aequinoctio vernali affectibus nervoſis ſtipatae ſunt. Febres nervoſae, remittentes, intermittentes, levi ſaepe delirio accedente frequentes, ſimul vero tusſes, peripneumoniae et verae et nothae. Majo autem menſe, obſervavit (*Opp. V.* I. *pag.* 46.). Auctor, febres intermittentes et remittentes cum profuſis ſudoribus grasſari, quae vel ex levi errore in continuas malignas nervoſas tranſibant, crebras quoque fuisſe febres rheumaticas, pleuriticas, peripneumonicas, facile ſputis flavis ſubrubicundis judicatas, adeo ut, niſi ipſo morbi initio, venaeſectionem, ſaltem repetitam haud deſiderarent; aeſtate auſtrina, humida, vanescere febres συνεχέας, multas inter omnes de languore virium querelas ac plurimos hyſtericos et hypochondriacos paroxysmos. *l. l. pag.* 42. *ſeqq.* Illae Huxhamianae obſervationes praeclaro exemplo hanc conſtitutionum ſucceſsionem docere mihi videntur. In hiſce enim videmus nervoſam diatheſin et brumalem phlogoſin verno tempore aequis viribus pugnantes, hanc vero aeſtate devictam penitus.

(99) Peculiare tamen febrium genus conſtituit; de quo vid. SELLE *in Pyretologia.*

(100) *l. l. P.* III. *pag.* 96.

bris ab autumno anni 1780 ad finem usque aestatis proximae, cum sub forma peripneumoniae nothae, subinde sinistro fato in phthisin pituitosam mutatae, primas ageret, verno tempore inflammatoriam diathesin sociam habuit, sub aestatis vero fervido coelo, accedente etiam bilioso vitio, febres subortae sunt compositae ex stationaria pituitosa et ex duplici annua, inflammatoria nempe et biliosa (101).

Egregiam lentae hujus, quae mutata tempora sequitur, morborum vicissitudinis observationem Anni 1777 historia exhibet. Erat Januario mense tempore sicco egelido diathesis summe phlogistica, frequens pleuritis, maxima morborum acuties, phlebotomiae et totius antiphlogistici apparatus usus creberrimus. Februarii vernali ac mutabili coelo pleuritides illae et pleuritica febris cicuratae quasi ac mitificatae in pulmonum catarrhos et febrim catarrhalem subinflammatoriam migrarunt, atque hi tandem mense proxime sequenti in pituitosam pulmonum diathesin conversi sunt (102).

Nec tamen, quod summus jam docuit HIPPOCRATES, omnibus aeque nocent omnia tempora, quin immo saepe medicati quid iis inesse deprehenditur. Probant, quae de phthisi et haemoptoë inflammatoria ab Auctore memorata legimus: „ Vigente pituitosa
„ Constitutione pauciores phthisici observabantur et quidam aut
„ curabantur, quos ex aliorum annorum observationibus habeba-
„ mus deploratos conclamatosque praeter omnem spem, vel ve-
„ ro, ut annosum malum fuerat, ita levabatur, ut fungi suis
„ laboribus potuerint et ad sanitatem propius accesserint. ——
„ Qui aliis annis mense plerumque Januario haemoptoë inflamma-
„ to-

(101) *l. l. P.* VII. *pag.* 1. *seqq.*
(102) *l. l. P.* II. *pag.* 1. *seqq.* cf. etiam *pag.* 236 *l. l.*

„ toria tentabantur, hac hyeme ab eo malo immunes vixere (103)."

Hinc, uti corporum naturae differunt, ita nec idem caufae epidemicae in fingulis hominibus effectus, nec eadem omnibus morbi facies. Sic de fynocho imputri, quae Martio menfe A°. 1781 popularis facta est, refert Auctor (*l. l. P.* VII. *p. 6.*), primum illius ftadium in viris fuisfe magis inflammatorium, minoremque univerfim pituitae colluviem in ftadio altero, in feminis vero aliquam in principio inflammationem, cruftam magis discolorem, item brevius ftadium inflammatorium, fubinde nullum, at vero copiofiorem et magis amaram pituitam, majorem in viris morbi acutiem, longiorem vero in feminis durationem cum intenfione majore: et *pag.* 11, *de eadem febre*, feminas plures aegrotasfe, minus diu inflammatorium ftadium durasfe, at eo diutius ftadium putridum, inter feminas plerasque recidivas et difficiliores, viros autem folis fere antiphlogisticis fanatos esfe. Eadem docent, quae de febre, quam depuratoriam vocavit, leguntur: *l. l. p.* 11. „ Regnabat
„ autumno praeterito febris annua pituitofa, ea per hyemem totam
„ protenfa ver attigit primum, donec primo vere inflammatoria hinc
„ inde diathefis fuboriretur. In viris haec nata nova diathefis inflam-
„ matoria in morbum erupit inflammatorium fimplicemque, qui folis
„ antiphlogisticis debebat fanari, idem quoque contigit in feminis
„ illis, quae quoad habitum propius accedunt ad viros. At vero in
„ mollioribus, chloroticis, pauperioribus nondum deleta, nondum
„ fubacta penitus pituita fuit, cum aliquid inflammatorii nafceretur."
Huc etiam pertinet frequentia febris pituitofae in feminis, in quibus ftationariam eam factam esfe fcripfit Auctor *l. l. P.* VII. *p.* 12.

Et

(103) *l. l. P.* VII. *pag.* 5.

Et hanc quidem morbi epidemici cognitionem optimam ducem habuit STOLLIUS ad praxin certiorem et magis compendiosam. Sed ipsum audiamus hujus studii defensorem: „ Certe se ipsum et „ artem et aegrum ludit, qui febrilium morborum curationes ag- „ greditur, non manu identidem quasi ductus hac fida itineris du- „ ce; temporis nempe pervestigata conditione. Hac temporum „ scientia destitutum mille formae ejusdem causae πανδήμου, milleve „ lusus ludificabunt. Nemo nec exercitui aegrotanti, nec nume- „ rosae in nosocomiis urbanae plebi consulet, qui hac magistra „ caruerit, constitutionum notitia. Versatilem certe, nullive in- „ nixam fundamento medicinam appellabo, inutilemque et nuga- „ toriam, dummodo nihil momentosum aut heroicum moliatur: „ quae vero aeque infirmo insistens talo, sed magnis et valenti- „ tibus remediis abutitur, inter infamia venificia reponam, vel „ ipsa deterrima epidemia magis devastatricem.

„ Qui naturam epidemiarum pervestigavit nullaque accidentali „ varietate distractus causam arripit oppugnatque pandemon, quot „ quaeso mortalium erit sospitator et genius tutelaris (104)."

A STOLLII aetate multos in Rempublicam Medicam motus intulere BROWNIUS ille et recentior Chemicorum gens, qui novas sententias ferre, acriter propugnare, antiqua quaeque contemnere ac despicere et naturae quasi alias leges scribere, abrogatis iis, quas veterum observatio cognoverat (105). Inde novae usque concitatae turbae, nunc his nunc illis rerum potitis, ac proscriptionum numero in dies aucto. Ecquid mirum, neglectum interim fuis-

(104) *l. l. P.* III. *pag.* 25. *seq.*

(105) Cf. HECKER *Geneeskundige Theorien en Stelsels* §. 87. *sqq. pag.* 187. *sqq.* et §. 98. *sqq. pag.* 204. *sqq.*

fuisſe et veterum et naturae ſtudium. Interea tamen alii fuere, pauci illi fateor, qui nec antiqua omnia contemnenda, nec nova quaeque avide arripienda duxere, ſed ad ſola naturae judicia medicorum lites componere conati ſunt. In eorum numero fuere imprimis RICHTERUS et HUFELANDUS, uterque et ingenio et doctrinae laude multoque artis uſu inſignis. Ili, ut erant, longa experientia docti, ita et hoc Conſtitutionis Epidemicae ſtudium de meliori nota commendarunt (106).

Simpliciter jam enarravimus praecipuas Auctorum de re epidemica ſententias, in quibus exponendis illud imprimis egimus, ut, variis invicem collatis locis, Auctores ex ſemet ipſis interpretaremur, quo major ſcilicet esſet iis, quae ſcripſimus, fides. Vidimus itaque, cuique tempori ſuos esſe morbos, hos autem mutatis temporibus mutari et ipſos, varias esſe et temporum et morborum conditiones, ex quibus rite perſpectis Conſtitutionis Epidemicae notio proficiscitur; vidimus, annuas esſe conſtitutiones, quae anni tempora ſequuntur et tempeſtates aërisque proprietates ſenſibiles, quas optime docuit HIPPOCRATIS et HUXHAMI obſervatio, esſe et ſtationarias hisce et longiores et potentiores, alteras obscurae originis, neque ab annuis aëris vicibus pendentes, quarum SYDENHAMO debemus notitiam, alteras ab annuis protractis natas, quas ex Stolliana doctrina praecipue didicimus, utrasque autem vel conſpirare, vel ſecum pugnare invicem, aliasque alias ſequi, vel ſimplex morbi genus inducentes, vel compoſitum variumque. Vidimus denique, epidemicis morbis aliisque, qui in eandem inci-

(106) Cf. RICHTER *Spec. Therap.* I. *Band. pag.* 9, 35, 53, *etc. et* HUFELAND *Waarnemingen over de Zenuwkoortſen, vertaald door* A. NUMAN *Amſt.* 1808. *pag.* 3. *ſeqq.* HUFELAND *über die Kriegspest etc. Berlin* 1814. *pag.* 83. *ſeqq.*

cidant conſtitutionem, quaecunque ſit facierum diverſitas, parem ſubesſe naturam, quique facie ſub varia conſtitutione conveniunt, natura differre quammaxime; hanc igitur obſervationem medico artifici minime esſe negligendam. Jam videndum, num hae, quas expoſuimus doctrinae, Hippocratica ſcilicet, Sydenhamiana et Stolliana aliquam tum a veritate, tum ab utilitate habeant commendationem. Ac de veritate quidem in ſequenti capite, de utilitate vero in capite tertio nobis disſerendum est.



CAPUT SECUNDUM.

DE DOCTRINAE VERITATE.

Ea quidem est disciplinae medicae ratio, ut ſola evidentia morali nitatur, quae probabili utitur ratiocinio, neque demonſtrationis capax ſit, quae jure ſuo ad alteram mathematicam illam evidentiam pertinet. Quarum illa hac dignitate inferior quidem, majoris vero ad vitam communem uſus. Cujus moralis evidentiae vim, cum non omnes aeque teneant, quam plurimis erroribus patet. Obſervatio male facta, concluſio falſa, infida testimonia, analogici ratiocinii abuſus tot ſunt errorum fontes, a quibus innumera mala in artem derivarunt. Hinc prudentisſimos nos esſe oportet, ut in ipſa empirica, quae dicitur medicina (rationalem volo) de vero ac falſo certo pronuntiare posſimus; neque ideo inanem aut inutilem duxi de hujus, quam expoſuimus, doctrinae veritate disputationem. Quae, ut ordine fiat, praecipuis, quibus inſtruitur evidentia moralis, auxiliis adhibitis, primo loco testimonii fide, tum analogico ratiocinio, ac tandem experientia hodierna rem probare conabimur. Quoniam vero plerumque rerum quasdam imagines potius, quam res ipſas percipiunt homines, non ego, qua ſum mentis imbecillitate, vera me dicturum confido, ast, quae mihi veriora videntur et quare videantur ita, referam.

Primo itaque nobis dicenda cauſa est ſummorum in arte viro-

rum,

rum, quorum memoriam, quamdiu ſalutiferae huic arti ſuus habeatur honos, nulla umquam delebit oblivio. Quodſi dulce quid habeat cogitatio, eorum, quos magni facimus ac diligimus, defenſorem agere, ego tamen non ejus ſum adrogantiae, ut tanto muneri parem me exiſtimem, verum illud tantum agam, ut, quas potisſimum ob cauſas, illorum mihi verior videatur doctrina, oſtendam, qua in re, ſicubi minus bene me gesſerim, hoc mihi, non cauſae tribuendum est.

De HIPPOCRATE autem, an ipſi fides habenda ſit, quis dubitat? Peritiam testantur ſcripta, in quibus ſummum ſe naturae probavit interpretem. Sive enim variam morborum faciem et mutatas formas exitumque, et naturae artem facientis opera cognoſcere cupias, quid accuratius, quid melius umquam ſcriptum fuit, quam illi, quos reliquit, Epidemiorum libri; ſive quaenam ſint valetudinis inſtantis, aut praeſentis ſigna, quid bonum aut malum portendat, quaenam mortis indicia, diſcere velis, Praenotionum pervolvas et Aphorismorum libros, cum in hisce explicandis tantopere excelluit HIPPOCRATES, ut CELSO teste, quamvis in curationibus mutarint recentiores medici, haec tamen eum optime praeſagisſe fateantur; ſive denique naturae ſectaris aut obſervationis aut imitationis optima praecepta, hunc ducem ſequaris, quo nec meliorem inveneris, nec magis ſidum. Praeterea inſtructus fuit HIPPOCRATES uberrima obſervationum copia, quas collegerant Aſclepiadae per ingentem annorum numerum (1).

Veritatis amantisſimum eum fuisſe probant ſcribendi generis, quò uſus est, ſimplicitas, medicina a Philoſophia illa, quae ſola ra-

(1) LE CLERC *Hiſtoire de la Medecine* p. I. l. 2. c. 2. p. 80. K. SPRENGEL. *Apologie*. I. p. 33.

ratione utitur, ab ipſo ſeparata et ad experientiam revocata, ſumma in ratiocinando moderatio, infelicium denique curationum quam plurimae hiſtoriae, optima fide in Epidemiorum libris traditae, quae cum a multis viris eruditis pridem jam collecta ſunt hujus rei argumenta, non est, quod hic diutius immoremur (2).

Ast, inquis, quamvis lubenter concedam, fidum eſſe immortalis Coi testimonium, obſervationum tamen, quas in Graecia ante multa ſecula fecit, nullam eſſe apud nos hoc, quod vivimus, tempore utilitatem, merito contendere licet. Nec nova haec, neque inaudita vox est, quam ex veterum Empiricorum ſchola profectam eſſe docet CELSUS, qui differre contendunt pro natura locorum genera medicinae et aliud opus eſſe Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia (3). Hinc et Lentilius iste, dolendum eſſe ſcripſit, juvenes medicos ſaepe artem doceri in Academiis ab urbe, in qua praxin exercebunt, remotis, unde fit, ut ſiniſtro eventu eam medendi methodum ſequantur, quam a praeceptoribus acceperint. Itaque, qui proſperam medicinam facere cupiunt, huic proximam ſcholam adirent, monuit. Quodſi quid ego ſentiam, candide fateri fas ſit, hoc errore nihil pernicioſius cenſeo, inſanius nihil. At natura credo, quae ſuas quibuscunque rebus dixit leges non violandas, in ſolo homine adeo prorſus ſui moris oblita fuisſet, ut in eo nihil certi, aut conſtantis reperias. Quid? num igitur cum et animalium et vegetabilium genera ſibi ſemper et ubique aequalia deprehendantur, homines tantopere differant, ut aliud prorſus animantium genus ſint homines Itali, aliud Galli, imo ut vicinarum urbium incolae ſui plane ſint disſimiles? Igitur nec di-

vi-

(2) Cf. SPRENGEL *Apol. p.* 60. *l. l.*

(3) CELSI *Med. Praef. p.* 8. *Ed.* HALLERI.

vinus ille cortex ſub Americano coelo natus intermittentes nostras ſanabit, nec venaeſectio, qua miraculi ad inſtar ſaevam pleuritidem ſugabant Graeci veteres, hic quoque morbi vim franget; nec, quae ſummi quondam naturae interpretes, vel laeti morborum eventus, vel ſiniſtri fati cognorint indicia, eorum et nobis erit aequa ſignificatio? Falſa igitur locutus est bonus ille HIPPOCRATES, in quo tantus ſemper fuit veritatis amor, quum, quae obſervaverat, et in Libya, et in Delo, et in Scythia vera comprobari affirmarit (4). Sunt utique cuique regioni propria quaedam, a vario coelo, incolarum vivendi more &c. repetenda, quae homines mutant quidem, non vero humanam naturam delent. Sua ergo ubivis ac ſemper manebit naturae legum auctoritas et medicinae fides. Haec enim vera illa, quaeque naturae nititur judiciis, omnium temporum est atque locorum, nec niſi cum natura ipſa peribit umquam. Praeterea, uti optimo jure animadvertit HUXHAMUS, in Praeſatione ad Obſerv. *Vol.* II. *Pag.* 17. etiamſi Graeciae regiones coelo magis clementi gaudeant, quam multae aliae Europae partes, haud levibus tamen aëris mutationibus ſubjectae ſunt frequenter, imo in ipſis conſtitutionibus ab HIPPOCRATE deſcriptis, leguntur ſubinde *ὕδατα πολλὰ, αὐχμοὶ, χειμῶνες μεγάλοι, χιόνες μεγάλαι* etc.; quin ejusdem plane generis ſebres populares apud HIPPOCRATEM pasſim occurrunt, quibus et Britannia ſubinde plectitur; quod etiam de nostra regione verum eſſe, duae illae conſtitutiones, quarum in priore hujus Disſertationis capite mentionem fecimus, manifesto declarant (5).

SYDENHAMO non ea quae HIPPOCRATI contigit felicitas, quippe qui

(4) *Prognost*, *ſub finem.*

(5) Vide ſupra c. 1. *pag.* 10. *ſeqq. et p.* 15. *ſeqq.*

qui nullos quo vixit tempore adverſarios habens, ſecuram vitam in artis ſalutiferae exercitio tranſegit, SYDENHAMUS vero, cum vanam omnem artem hypotheticam pronuntiaret et a Chemicorum ac Sophistarum ineptiis esſet alienior, plerisque aetatis ſuae medicis in odio fuit. Praecipuum autem adverſarium MORTONUM nactus est, celebrem ſui temporis medicum, qui, ut esſet, Chemicorum cauſae addictior et methodus alexipharmacae fautor, ita Sydenhamianam refrigerantem medicinam damnavit (6) et aliam dedit conſtitutionum, quas SYDENHAMUS deſcripſerat, historiam. Quae, cum SPRENGELIO verior videatur (7), de hac paucis videbimus.

Quinque obſervasſe SYDENHAMUM conſtitutiones et tot febres ſtationarias ſupra notavimus (8). Hoc autem tempore, ſi pestilentem illam conſtitutionem exceperis, unica tantum morbi ſpecies grasſari viſa est MORTONO, febris videlicet συνεχής, ſive continua remittens, quae ſive diarrhoeae, dyſenteriae, ſive cholerae, ſive vomitionis, rheumatismi verſatilis, pleuritidis, ſeu colicae induxisſet ſpeciem, unico tantum remedio Peruviano cortice erat profliganda, cui in dyſenteriis opium junxit. Haec jam febris συνεχής, ipſo teste, in eo tantum a peste differt, ut, cum utrisque venenatum fermentum ſubſit, in hac venenum illud in gradum magis deleterium provehatur; nec mirum, cum omnibus acutis morbis talia fermenta ſubesſe crederet, ipſum ſpecifica ſemper magni fecisſe, quae hisce venenis ſpecificis delendis apta esſent. Ingenue fateor mihi hujus febris συνεχεος notionem distinctam mini-

(6) *Opp. pag.* 56. *ſeq.*
(7) K. SPRENGEL, *Pragm. Geſch. Tom.* V. *pag.* 468. *ſeq.*
(8) Cf. *Cap.* 1. *p.* 43

nime videri aut determinatam, quodsi eam hujus typi febrem innuerit Auctor, quae ex intermittentium legitimarum est familia, quarum in cortice certum ac numquam fallens habemus remedium, non video, quare, cum haud verosimile dixit SPRENGELIUS, per tot annos phlogisticam fuisse morborum diathesin, ad quam omnis SYDENHAMI methodus adcommodata est, verosimilior nobis videretur MORTONI opinio, regnasse videlicet per quatuor lustra unicam febrium intermittentium epidemiam, cortice febrifugo curandam (9). Praeterea, si, monente SYDENHAMO, non tantum morbos sanare, sed ita sanare oportet, ut nulla naturae vi illata sponte quasi cessisse videantur, magnam reperio inter utriusque medendi methodum differentiam, ac vereor quam maxime, ne malignitas illa et prava symptomata, quorum frequens apud MORTONUM sit mentio, medelae magis quam morbi effectus fuerit.

Quod autem ad curam attinet febris illius variolosae 1667–1669 et dysentericae febris anni 1670–1672, qua sibi non constitisse SPRENGELIO dicitur SYDENHAMUS, cum in priore sudores colliquativos sistendos, in altera evacuationem alvinam promovendam esse censuerit, hic, ni graviter fallor, errore abductus est SPRENGELIUS. Epidemiam enim dysentericam a variolosa fuisse diversam, anomalum variolarum genus docet, a regularibus prioris Constitutionis variolis plane distinctum (10). Quid quod, quanta constantia ac fir-

(9) MORTON *Pyretol. pag.* 163.

(10) SPRENGEL *l. l. T.* V. *pag.* 467 *seq.* cf. SYDENHAM *Opp. Sect.* III. *et* IV. Porro sudores illi symptomatici fuere, cum in ipso morbi principio cruda existente materia adparuerint, neque ullum levamen adferrent; sequentis vero constitutionis diarrhoea criticam rationem habuisse, dysenteriae, colicae aliique horum temporum morbi, in quibus omnibus materiae acris biliosae fuerunt indicia, nec non alvi lenimentum et purgantium summa ac crebra utilitas manifestarunt.

firmitate ejusdem Constitutionis morbis medicinam fecerit, testatur diarrhoeae, quae hac stationaria jamjam provecta invasit, diarrhoeae curatio, quae, licet ad aliam novam Constitutionem pertinere videretur, revera eadem fuit cum regnante febre variolosa, ac in qua igitur solis refrigerantibus usus est, ne lenitivis quidem catharticis adhibitis (11). Et hac in re imprimis magnum fuisse SYDENHAMUM censeo, quod, auctore HIPPOCRATE, tanti habuerit observasse, quomodo et quanam via morbos pellat natura; neque enim parum interest, num per sudores, qui saepe calidioribus remediis provocantur, an per alvum evacues; atque his etiam aliisque vere practicis fundamentis Sydenhamiana nititur Constitutionum divisio. Etenim ad hanc normam omnem praxin direxit SYDENHAMUS, ut naturae vocibus obtemperaret, hujus ministrum agens. Quare, si sanguis nimis aestuaret, venaesectionem, si debilior febrilis commotio, cardiaca adhibuit, si vero in vomitum pronior natura, emetica danda esse monuit, cum ab hisce neglectis saepe in morbi fine diarrhoeam ortam vidit molestam et sanationem retardatam. Fallitur ergo SPRENGELIUS, qui hunc ea methodo usum esse contendit, qua sui temporis Iatrochemici usi sunt (12), qui omni ope id solum agerent, ut alexipharmacis venenata fermenta, quae causas morborum habebant, delerent, aut urgerent per cutis spiracula ac in ipso quoque morbi initio foras truderent, nulla sive coctionis, seu criseos ratione habita. Nec profecto eandem quam vulgus medicorum medicinam fecisse SYDENHAMUM, quoniam eadem subinde adhibuerit remedia cum SPRENGELIO crederem. Iis enim nec multis, nec

(11) SYDENHAM *Opp. Sect.* III. *c.* III. *p.* 169. *seq.*
(12) *l. l. pag.* 465.

nec valde compofitis opus est artis magiftris. Quae de medicinae convenientia ut obfolvatur quaestio, et utendi tempus et modus notari debent, cum nullum fe cognovisfe remedium, quin tempestivo ufu tale fieret, fummus BOERHAVIUS merito adferit, quodfi quis, num tempestivum ufum noverit SYDENHAMUS quaerat, is ea animo perlegat, quae de febris depuratoriae curatione fcripfit (13). Praeterea nec eadem remedia adhibuisfe SYDENHAMUM probat antiphlogisticorum frequens ufus, quibus rarisfime, fi umquam, utebantur illius adverfarii.

Culpatur ab HUXHAMO, quod pestem ipfam ut febrem mere inflammatoriam tractaverit (14). Hac autem culpa ut SYDENHAMUM liberem, animadvertisfe liceat, non omnem pestem eandem esfe; ac, quod de variolofo et morbillofo contagio tam egregie probavit STOLLIUS, illud per fe mite esfe, conftitutionis vero vi exacerbari imo malignum faepe fieri, de pestilenti etiam contagio affirmari potest. Sic de peste Masfilienfi relatum legimus, multos aegros hoc morbo leviter adeo afflictos fuisfe, ut absque damno in viis publicis obambularent (15). Jam vero post praegresfam hyemem frigidisfimam et ficco gelu in veris usque tempora perdurante, cum ex improvifo folveretur, fine fcilicet Martii menfis anno 1665, peripneumonias, pleuritides magnam repente ftragem edidisfe eoque ipfo tempore pestem ortam fuisfe legimus (16). Ecquid mirum, hanc phlogisticam fummae diathefin pestis contagio fe junxisfe fociam, quodfi in fanguineis hoc contagio affectis

(13) *Opp. pag.* 53. *feqq.*
(14) *Cap.* VII. *de febribus.*
(15) CHICOYNEAU *Traite fur la Peste Sp.* IV. *p.* 41.
(16) SYDENHAM *Opp. Sect.* II. *c.* 1. *pag.* 115.

tis utiles saepe fuerint venaesectiones (17), nonne et hic utiles fuisse, communi quasi ab anni tempore inducta sanguinea temperie, concludere licet. Quid quod vel ipse HUXHAMUS alio loco, in Dissert. *de Variolis Lib. de Febribus pag:* 121. Symptomatibus vere inflammatoriis praesentibus ipsa in peste aut quocunque alio morbo sanguinem se detracturum monet, ne periculum a sanguinis diathesi inflammatoria, nulla contagii habita ratione, oriatur maximum. Ita etiam Cel. FRANCK in *Epitome de Curandis Hominum Morbis, Tom.* I. *pag.* 136: „Pestis ipsa nonnunquam venaesectionibus cessit feliciter et tum sanguinis crasis „ manifeste inflammatoria, tum pulsuum aliorumque symptomatum „ praecipue vero doloris circa ventriculum fixi ratio et levamen missum cruorem mox insequens, sat satis huic operationi favent."

Quis vero SYDENHAMO testi fidem habendam esse neget. At credo non peritus fuit, qui egregie adeo morborum delineavit imagines ut, ipsis aegrotis assidere et quid in quoque natura indicet, intueri nobis videamur, qui illustrem LOCKIUM amicum habuit et suae methodo suffragantem (18), qui denique apud optimos quosque medicos in summo honore fuit. At non fuit candidus, qui nulli theoriae addictus totum se naturam observando tradidit, nec famam sibi quaerens, solam veritatem, quam prae omnibus rebus amabat, secutus est, quem ab hac vindicanda quam praesentiret sors non terruit. „ Malum enim, inquit „ in *praefat. pag.* 8. hujus seculi genium satis habeo perspectum, „ ut

(17) SAMOILOWITZ *Lettre sur les expériences des frictions glaciales pour la guérison de la peste*, *Paris* 1781. *pag.* 17 *et* 18.

(18) SYDENHAM *in Ep. Dedicat p.* 8. LOCKE *sur l'Entendement humain*, *in praefatione pag.* 31. *seq. Amst.* 1735.

„ ut non aliam ex hac femente quam convitiorum atque contu-
„ meliarum mesfem exfpectem meque famae meae longe melius
„ confuluisfe, fi inanem aliquam atque inutilem fpeculationem
„ commentatus fueram. Hoc vero mihi perinde est, mercedem
„ aliunde praeftolor. Si quis objiciat alios aeque in hac arte
„ verfatos non idem mecum de his rebus fentire, meum non est,
„ quid fentiant alii disquirere, fed meis obfervationibus adftruere
„ fidem, quod ut faciam, lectoris patientiam defidero tantum;
„ non favorem. Res ipfa etenim brevi loquetur, an fideliter et
„ fincero animo hic egerim, an e contra adinftar fceleratisfimi ho-
„ minis morumque profligatisfimorum, homicidam me praeftiterim
„ vel in terra defosfus." Et *pag.* 365. ubi de variolarum re-
gimine antiphlogistico loquitur: „ Non fum usque adeo delirus
„ atque inops mentis, ut famam mihi quaeram ab exagitata at-
„ que explofa eorum opinione, qui, fi plaufum venarer, omni
„ obfequio mihi ambiendi erant; neque malitiae tam deploratae
„ cuiquam videri posfum, ut hominibus, etiam feculis aliquam multis
„ post mea fata nascituris, ex mea fi quae erit illa auctoritate
„ infidias ftruam, et vel mortuus, quod horreo referens, perin-
„ de ac vivus illos occidam."

Superest ut de STOLLIO teste videamus, qui quidem rara felici-
tate doctrina pariter ac ingenio et naturae ftudio excelluit, ita ut
haud facile dictu fit, num bonarum disciplinarum peritia, an fum-
mo rerum ufu major exftiterit. Non tantum enim optimos quos-
que rei medicae Scriptores pervolverat, fed multas eorum fenten-
tias egregie adeo interpretatus est, ut vel hac re fummam laudem
adeptus fit. Probant, quae pasfim in fcriptis inveniuntur, Hippo-
cratis, Ballonii, Baglivii, Sydenhami, Huxhami illuftrata loca.

Probant Aphorismi Boerhaviani, ab ipſo ſumma cura denuo exarati atque emendati. Interim quam plurimorum aegrotantium tum in Noſocomio, cui praeerat, cum extra illud curam ſuſcepit, in qua quidem re, quam praeclare ſe gesſerit, docent morborum quas conſignavit hiſtoriae, ita ut ſummum in arte magiſtrum illum habeam, cujus ad exemplum ut omnes ſeſe componant medici in votis est. Nec, ut hanc ſententiam mutem, SPRENGELII me movent rationes, qui cum ſuae ſcholae ſuique ſeculi praejudicatis opinionibus deceptum de ſtationaria quadam Conſtitutione ſomniasſe ait, omni tempore morborum moderatrice, hinc in multos errores delapſum esſe, nunc quibusvis morbis bilioſam originem adſingentem, nunc omnibus occultas ſubesſe inflammationes ſuſpicantem, debilitantibus remediis ſedandas (19). Igitur egregia illa Epidemiae in novas usque formas mutatae imago et cujusque formae vel minima lineamenta tam accurate depicta ac curationum conſilii ſagacitate non minus, quam proſperitate eventus inſignium narrationes tot ſunt opinionis falſae commenta. Igitur nec polycholia, a qua febrem bilioſam crebro oriundam dixit STOLLIUS, quamque SPRENGELIUS ipſe cholericis a praecalida tempeſtate induci pluribusque ſimul potentiae Epidemicae vi ſuboriri posſe haud negat, eadem manente conditione, epidemica fieri posſet et febrem inferre bilioſam ſtationariam (20).

Quod

(19) *l. l. pag.* 489. *ſeq.*

(20) SPRENGEL *Handbuch der Pathologie Th.* I. §. 536. *ſeqq Cf. l. l. Th.* II. §. 109. de febribus remittentibus ſymptomaticis: ubi adparet diviſionem ipſius febrium ſthenicarum et asthenicarum, a charactere dynamico petitam maximis premi difficultatibus, quippe quae nec naturalis est, nec practica, unde tertium genus conſtituere oportuit, febrium ſymptomaticarum, inter quas gastricam febrem collocavit et alias. Ipſum audi: » febris ſymptomatica per ſe nec ſthenica est, nec aſthenica, licet quae» dam ſint ſpecies, quae plerumque alterum dynamicum characterem habere ſolent."

Quod autem nusquam frequentior fiat mentio biliofi vitii et gastricae complicationis, quam in Epidemiarum feculi decimi octavi Hiftoriis, num hoc a communi Scholae errore, uti SPRENGELIO placuit (21), an vero ex eo fit interpretandum, quod revera crebrior fuerit hisce temporibus biliofa Conftitutio, penes peritiores, quam me novi, viros judicium esto. Mihi quidem et SWIETENUM et HUXHAMUM et LENTINUM et GRANTIUM fummos naturae interpretes imperitiae, aut erroris nomine damnare temerarium videtur et iniquum. Ast fortasfe famam fibi quaefivit novarum rerum inventione? Verum nec novae res erant, nec invenit STOLLIUS; ac vereor quammaxime, ne ex ficta morbi genefi artem fi fecisfet, atque in ipfis genuinis inflammationibus propinasfet emetica, non inde fama incrementa cepisfet; fed quammaxime fuisfet periclitata. Si vero quae fentiam dicere fas est, non videtur bona fide neque cum STOLLIO, neque cum SYDENHAMO egisfe SPRENGELIUS, qui Dynamicorum caufae cum faveret (22), non aequo atque integro animo, quo fcriptorem oportet historicum, de hisce judicavit. Quonam autem jure Epidemias ftationarias negaverit (23), haud teneo, neque argumenta reperio, quibus hanc fuam fententiam firmaverit. De opinionum commentis arbitria agere licet, res vero factas ex opinione aeftimare non licet, quodfi liceret, omnem de vero aut falfo in naturae fcientia quaeftionem vanam ac inutilem duxerim. Neque tantum apud me valet auctoritas SPRENGELII, quantum SYDENHAMI auctoritas et STOLLII et HUFELANDI et RICHTERI. Accedit, quod non ratiocinio quodam, fed natura duce ad hanc praxin pervenerit STOLLIUS, magno a fpontaneo vo-

(21) *Gefch. T.* V. *pag.* 480. *feq.* (22) *l. l. T.* V. *Praef. pag.* 4.
(23) *l. l. pag.* 422.

vomitu levamine veram medelam monſtrante, dum alia quaevis adhibita remedia malum exasperarent, in quibus adhibendis et ſe errasſe exemplo petito ab aliorum et propria valetudine docuit, ingenue ſuos errores confesſus (24). Dictis praeterea fidem faciunt extiſpicia, quae veram mali ſedem manifeſtarunt (25). In altera illa Conſtitutione, vigente phlogoſi, refrigerante methodo eam ob cauſam plerumque uſus est, quod evacuantium et ſtimulantium noxas haud ſemel expertus fuerat (26). Nec intelligo, cur, etiamſi occultae ſaepe fuerint inflammationes, aliam methodum refragante natura adhibere debuisſet. Non tamen omnes occultae fuere inflammationes, nec hae necesſario antiphlogisticae oppoſitam medicinam poſtulant.

Itaque, cur HIPPOCRATIS, SYDENHAMI ac STOLLII testimonio fidem habeam dixi, nunc videndum de testimoniorum conſenſione.

HIPPOCRATES, qui ſub miti Graeciae coelo et anni tempora et morbos conſtanti quadam lege ſeſe excipientes vidit, cum naturae ſuae responderent ac vix anomalias paterentur, imprimis annuis morbis iisque, qui ab aëris temperie oriuntur, obſervandis ſtuduit, morborumque et anni tempeſtatum affinitatem diligenter adeo perſecutus est, ut in hoc doctrinae capite illustrando eum quaſi exemplar quoddam ad imitandum ſibi propoſuerint, quicumque hoc ſtudium colue-

(24) *Rat. Med. P.* II. c 2. *p.* 7 *ſeqq.* (25) *l. l. P.* I. *pag.* 93. *ſeqq.*

(26) Ita fatetur, ſe pravam medicinam fecisſe puellae dyſenterico morbo ſublatae, quem infausto eventu emeto-catharſi depellere conatus fuerat. » Hic, inquit, oportuisſet ſumme antiphlogiſticam curam inſtituere, et curatio a Tinctura Rhei aquoſa » male est inchoata, male datum Emeticum. Infidum erat levamen; ſed decepit cor» poris habitus, verminoſa diſpoſitio, ipſique vermes exereti, ſed maxime decepe» runt aliae aliorum annorum dyſenteriae eadem methodo ſeliciter curatae.” Cadaveris ſectione patuit, omenta atque intestina inflammatione haud levi correpta fuisſe. *Rat. Med. P.* III. *pag.* 235.

luerunt posteri, in qua quidem re inter omnes excelluit HUXHAMUS. Quos obſervaverat Cous anni temporum morbos, eosdem vidit SYDENHAMUS atque intercurrentium nomine inſignivit, vidit et alios, quos Epidemicos principes dixit, ſeu ſtationarios. Qui cum, qua fuit ſagacitate, aliquot annos continuos pari modo ac via horum principum Epidemicorum judicationes fieri cognoverit, natura medelam indicante, ab hisce criſibus et ſtationariae ſebris notionem et praxin rationalem ex obſervatione ductam petendam esſe judicavit. Quas criſes, cum tam in intermittentium, quam in exanthematum esſentialium genere iisque, quibus contagioſi quid ſubest, manifestiores et magis fidas reperisſet, neque praecipuos hos Epidemicos morbos ex apertis aëris vitiis intelligi posſe perſpexisſet, occultas horum cauſas in atmosphaera latitantes accuſavit. Tum Hippocraticam doctrinam, tum Sydenhamianam ſua experientia firmavit STOLLIUS. Hic tamen in Epidemiis investigandis alia quadam ratione uſus est ac SYDENHAMUS. Namque non omnes ſtationarias ex abditis cauſis oriundas esſe, verum etiam ab annuis protractis, quadam anni tempestate ſuos limites egresſa, fieri intellexit, in quam ſententiam praecipue bilioſa illa ſuo tempore vigente conſtitutione ductus est. Haec quoniam et exanthemata et alios quosvis morbos ſub poteſtatem ſuam redegit, omnes communi auxilio fugavit. Neque hanc rem SYDENHAMUM latuisſe, creberrimus phlebotomiarum uſus indicat, quibus ſub imperio Phlogoſeos in variolis et ipſa peste ſanguinis impetum ſedavit.

Quae cum ita ſint, quin fida ſint hujus rei testimonia dubitari nequit. Sequitur, ut inquiramus, num ex cognitis aliis phaenomenis, de quibus inter omnes conſtat, analogice quoque rem probare posſimus.

Brevisſima vita nostra foret, niſi et aër et cibus ipſi continuo alimenta ſubminiſtrarent. Uti autem, quibus corpora aluntur, res alio et alio modo adfectae ſunt, ita haec vario mutari necesſe est. Illae vero plurimas ſubeunt mutationes. Namque et aëris multae et magnae ſunt vicisſitudines, et ciborum, quibus utimur, varia genera, nec par omnibus vivendi ratio. Et aër quidem commune vitae pabulum et ſecundae et adverſae valetudinis uberrimus fons est.

In aëre calido debilitantur ſolida, ob relaxatam partium cohaeſionem, vis vitalis ſenſilior quidem, at robore, tenacitate, hinc duratione minor, ſacilius in ſuis motibus turbanda, brevi ſervore torpens, deſiciens (27). Humorum motus augetur, acuitur nervorum ſenſus, cutis magis perſpirat, bilis majori copia ſecernitur, at facile depravatur; minori vero humores intestinales et urina, languet ciborum concoctio (28).

In aëre frigido tonus ſolidorum auctus, vitae vis non ita ſenſilis, nec mobilis, ſed tenacior, neque tam facile turbanda: tardior humorum circuitus: obtuſus nervorum ſenſus: imminuta perſpiratio cutanea, auctae vero et intestinorum et renum ſecretiones, aucta et muci ſecretio, appetitus vegetus, concoctio facilis (29). Aër frigidus, ſi et humiditate peccat, omnes partes debilitat, pulmonum ac cutis perſpirationem impedit; vaſis lymphaticis et glandulis imprimis infestus hydropes et ſcrophulas et atoniam et rachitidem producit. Praeterea, cum tonum laxet, frigoris vim noxiam

co

(27) GAUBII, *Inſtit. Pathol. Medic.* §. 424.

(28) BAUR, *über den Einfluss der äusſeren Wärme und Kälte auf den lebenden menschlichen Körper*, *Marburg* 1804. *pag.* 34. *ſeqq. pag.* 53. 99. *ſeqq.*

(29) GAUBII *l. l.* §. 427. BAUR *p.* 55. *ſeqq.* 90. *etc.*, qui hoc caput de caloris et frigoris potentia inter omnes optime illuſtravit.

eo magis experitur genus nervosum, quo faciliores ipsi in corpus aditus. Hinc febris lenta nervosa, febris pituitosa, verminosa hac tempestate frequens, ut et scorbutus, morbi omnes a labefactatis viribus et torpentibus corporis functionibus oriundi (30).

Aëre calido et humido solvitur magis sanguis, ac in corruptionem pronus fit, haud tamen valide adeo adficitur genus nervosum. Summa solidis inducitur laxitas, aperiuntur pori, attrahuntur humores, attenuantur, in aliena vascula admittuntur, qua data porta erumpunt, aut retenti celerrime ad putredinem disponuntur, unde habitus externi distensio, sudatio enormis, interiorum inanitio, virium lapsus, morbi putridi, contagiosi, pestilentes (31).

Quoad aëris gravitatem, alta barometri statio respirationi favet, nocet aër levis pulmonicis et asthmaticis, quam mutationem, vix sensibilem licet, percipere corpus humanum docent majorum vulnerum cicatrices, clavi, fonticuli, instante tempestatis vice dolentes et arthriticorum dolores aucti, docent homines nervosi ac sensilioris temperamenti, qui saepe multos dies ante mutatam aëris temperiem vel in calefactis cubiculis hanc praesentiunt. „ Observavi semper, „ inquit Cel. HUFELANDUS, barometri stationi naturae humanae „ conditionem exacte respondentem. Simul enim atque hac sen- „ sationes percipiantur, mutatur et barometer, prius quam ulla in „ aëre mutatio percipi potuerit. Notavi etiam, diuturnam, hu- „ milem barometri stationem nervosam sequi diathesin, altam vero „ phlogisticam (32)." Et HUXHAMUS *l. l. Vol.* II. *Praef. p.* 7: „ Numquam profecto citius, neque felicius restituuntur aegrotan- „ tes,

(30) BAUR *pag.* 163. *seqq.* (31) BAUR *pag.* 169. GAUB. §. 430. 8.
(32) *Aanm. over de Zenuwk. pag.* 5. *seq.*

„ tes, quam ſudo effulgente coelo alteque in baroscopio ſtante „ mercurio, lentisſime contra convaleſcunt, dum nubilus perflat „ ac pluvioſus auſter." Praeterea uti aër gravis ſolidorum cohaeſionem et robur auget, ita levis aër ſolida laxat, vaſa dilatat, debilitat, hinc, presſione externa imminuta, tumores, eruptiones, aberrationes humorum producit et multiplices haemorrhagias, circulationem infirmat, vires ad motu manimalem proſternit (33); quae illis praeſertim qui montes adſcenderunt itineratoribus accidisſe legimus.

Ad haec autem praeter variarum rerum exhalationes, quas in ſinum recipit atmosphaera, et electrici fluidi varia ratio vel ſalubriorem, vel minus ſalubrem efficiet aërem, quod hyeme rura gela claudente augeri obſervatum est (34). De his tamen adhucdum parum certi conſtat.

Ventorum etiam vires attendendae ſunt, quae differunt pro locorum, quae peragrant, ratione (35). Uti longa aëris quies valetudini infesta esſe ſolet, ac pestilentes morbos ſaepenumero infert, ita in atmosphaerae motibus, ventis ſcilicet et procellis, firmisſimum est morbis praeſidium; ſic HUXHAMUS *l. l. V.* I. *p.* 5: „ Haud raro notavi, post procellas gravesque pluvias febres epi„ demicas multum fuisſe imminutas et vi et numero; effluviis nem„ pe contagioſis et morbificis atmosphaerae conſpirationibus hoc „ modo disperſis. Ideo forte divus Augustus, cum in Gallia mo„ raretur, templum et vovit et fecit circio, vento vehementisſimo; „ eique Turbini etſi aedificia ſaepe diruenti gratias publicas agebat „ gens Gallica olim, referente Seneca, utpote cui ſalubritatem „ coeli ſui deberet." „ Coe-

(33) GAUB. *l. l.* §. 434. *ſeq.*
(34) SAUSSURE, *Voyage dans les Alpes T.* III. *Chap.* 28.
(35) De hisce cf. BAUR *p.* 152. et BOERHAVIUS *Inſtit. Medic.* §. 753.

„ Coelum denique, inquit summus BOERHAVIUS, anni tempestas, „ solum, mare, montes, lacus, paludes, flumina, vapores, exha- „ lationes, meteora aërem ita permutant, ut creet varios morbos „ non pendentes adeo ex ipsa aëris indole ejusve dotibus quali- „ tatibusque, quam quidem ex natura et efficacia *admisti:* unde „ etiam inquiri atque intelligi debent (36). Et ex hac admisti natura et efficacia, ex qua, suo jure monente immortali BOERHAVIO nostro, epidemicorum explicatio saepe petenda est, patet ratio cur ut hi intelligantur, non semper sufficiat, sensibiles aëris proprietates indagasse, verum simul hujus compositi vis notari debeat.

Jam si cogitemus, has aëris dotes sua singulas agendi potestate praeditas suaque morborum genera inducentes per vices praevalere, ita ut hae tum sensibiles, tum occultae aëris qualitates, pro anni tempore mutato, mutentur et ipsae, inde Constitutionis annuae ejusque perfectissimae nobis nascitur notio, qua aequali tenore epidemiae quovis anno sese mutuo subsequuntur, quem si non servent, anomala erit annua Constitutio, nec stato tempore redibunt epidemiae, sed novus, quo sibi succedant, nascetur ordo. Sic frigidum siccum hyemale phlogosin inducet, aucto fibrarum tono et validiori vi vitae majori energeia in potentias irritantes agente. Vernali calore augebitur usque nervorum imperium, celerior humorum cursus, qui ad superficiem feruntur, hinc aucta cutis functio cumque ea et aucta ejusdem aegrotandi facultas, unde multiplex efflorescentiae genus; quin etiam criticae evacuationes, quae plerumque frigida tempestate per intestina et renes fieri so-

(36) *l. l.* §. 752.

ſolent, jam cutis viam legunt. Calidum ſiccum aeſtivi temporis febrem biliosſam et gastricam, affectiones generis nervoſi et morbos cutaneos profert, calori vero humiditas ſi jungatur, pesſimum invadet epidemicorum genus, putridae, perniciosisſimae indolis, vitae omnium infestisſimae. Humidum et frigidum autumnale coelum et catarrhalis febris et lentae nervoſae et mucoſae et verminoſae parens, pertinacisque quartanae, et malorum taediosſae ac refractariae indolis, quae chronica dicuntur. Quodſi autem cum his ab aëre communi omnium pabulo ſubortis cauſis et vitae genus aliaeque cauſae communes conſpirent, novis acceptis viribus, majorem miſerae mortalium genti cladem inferet hoſtis epidemicus, et cruentam reportabit victoriam.

Luculentisſimum cujusque coeli potestatis exemplum vivis coloribus expresſit natura in morbis illis, qui, ut ſinguli ad certas regiones pertinent, endemici nuncupantur. Lubet hujus imaginis primas lineas ducere, ut vel hinc ea, de quibus jam inſtituimus quaestionem, ſenſu quaſi percipi posſint, atque oculis luſtrari. Differre naturam locorum, ita ut alia ſint maxime ſalubria, alia vero inſalubria inter omnes conſtat. Saluberrimi loci exemplum ad naturae veritatem delineavit HIPPOCRATES, in egregio illo *de aëre aquis et locis* libro, ubi Aſiae historiam tradidit (37). „ Mea quidem ſententia Aſia plurimum Europae praeſtat, cum „ eorum omnium natura, quae e terrae producuntur, tum ho„ minum. Longe enim pulcriora et majora omnia in Aſia gig„ nuntur regioque ipſa hac noſtra mitior et hominum mores hu„ maniores et benigniores. Quorum quidem cauſa est tempesta„ tum

(37) *Opp. T.* I. *pag.* 288. *Ed.* FOES. Praecipue hic deſcribitur Jonia Aſiae Minoris pars, ſive regio inter Hellespontum et Halicarnasſum cf. SPRENGEL *Apolog. T.* II. *pag.* 579.

„ tum anni temperatio, cum in medio ſolis exortu ad auroram „ ſit expoſita, a frigore longe procul remota. Incrementum au- „ tem et moderationem omnium maxime praebet, cum nihil ſit, „ quod per vim ſuperet, ſed omnium ſit aequabilis poteſtas. „ Neque tamen ubique per totam Aſiam ad eundem modum ſe „ habent omnia. Sed, quae quidem regio in medio calidi et „ frigidi poſita est, ea certe feracisſima est et arboribus maxi- „ me conſita et blandisſima, aquisque praecipue fruitur coeles- „ tibus et ex terra provenientibus. Neque enim calore admo- „ dum exuritur, neque ſqualoribus et aquarum penuria reſicca- „ tur, neque frigore violatur, ſed, auſtro objecta, imbribus „ multis et nive perfunditur, multaque illic ſua tempestivitate „ nasci par est, quae ex ſeminibus quaeque ex terrae plantis „ proveniunt, quorum fructibus homines fruuntur ex agrestibus „ domesticos faciendo et in uſum ſuum transferendo. Pecora- „ que illic abundare aequum est crebriusque parere et optime „ educare. Hominesque habitiores esſe formaque praeſtantes et „ magnitudinis eximiae, formaque et corporum proceritate non „ admodum inter ſe disſimiles. Hanc regionem ad anni tempo- „ rum naturam et moderationem proxime accedere, conſentaneum „ est. Virilis autem animus, aerumnarum et laborum tolerantia „ atque audacia in hujusmodi naturis innasci nequit. Neque „ ejusdem generis aut diverſi (38) conjunctione ducuntur, verum „ in ipſis libidinem dominari necesſe est. Ideoque multiformes „ in feris partus gignuntur."

Par ſalubritatis ratio in Braſilia esſe videtur, quae regio, Piſo-

(38) SPRENGELIUS hic τὸ μήτε in τὸ ἀλλὰ mutandum esſe ſcripſit *Apol.* II. *p.* 582 *ſq.*

ſone teste, nullas habet Epidemias, ſporadicos vero morbos ejus conſtantiae ac tenoris, quem in antiquisſimorum ſcriptorum monumentis conſignatum reperies. Quae vero in Europa periculoſae ſunt aegritudines, ibi mites evadunt atque innocuae (39).

In iis locis, quae ab hisce ſalubritate proxime distant, morbi reperiuntur conſtantes et certa lege ſua ſtadia percurrentes criſibusque manifestis et perfectis ſtato tempore judicati. In his porro ſumma ſide anni tempestatum morbi revertuntur.

Fervida, quae dicitur telluris plaga, ubi ingentes aeſtus omnia torrent, morborum nervoſi generis putridique et exanthematum feracisſima est. Increſcit enim cum ſolis imperio ſentiendi vis et ingenii mobilitas. Oriens ſol hominum genus luſtrat ingenio celeri, acuto, ad ſingendum facili, poeſeos amantisſimum, animo in ſuſcipiendos quosvis motus prono et in gravisſima quaeque pathemata proclivi. Meridiano ſole tenſa nimis haec ſentiendi vis ſaepe abnormes motus concitat. Haec nimia ſenſibilitatis contentio in ignaviam et languorem ſolvitur; unde laborum impatientia, animi vigor nullus, in libidinem et melancholiam propenſio in illis hominibus obſervari ſolent (40). Ipſis Europaeis in Java inſula mentis acumen obtunditur hique inertes ſiunt (41). Convul-

(39) PISONIS *de Indiae utriusque re naturali et medica Lib.* XIV. *Amſt.* 1658.

(40) Ita multos reperiri inter Aegyptios melancholicos, qui vitam agere a peccatis immunem profitentur, ſanctitatemque habere existimantur atque vivunt in locis aſperis, Deo ſervientes, moreque Heremitarum, prodidit PROSPER ALPINUS. Divitias ſpernunt et mundi voluptates ac commoda fugiunt, abhorrentes vitam inhoneſtam coelibemque amplexantes. Humanisſime cum omnibus cujusvis religionis ſe gerunt, errores omnes acriter accuſantes, mundumque homini esſe miſeriam praedicant. Moesti ſemper existunt a Deo multa ſupplicia ob mortalium flagitia expectantes. Habent corpora nigra, ſqualida, gracillima, mumiarum areſactis corporibus omnino ſimilia. P. ALPINI *de Médicina Aegyptiorum l.* I. *c.* XIV.

(41) His et pallidus ſit faciei color a mala ciborum concoctione et mala haematopoieſi. SPRENGEL *Pathol.* I. §. 774.

vulsiones, chorea Sancti Viti quam Beriberii Indi vocant, epilepsiae, spasmi ibi frequentissimi, ita ut vel a levissimo vulnere dirus oriatur tetanus (42). Febres putridi generis plurimos exercent, quae eo periculosiores, quo propius ad Aequatorem accesseris, dum in terris polaribus plane sint incognitae (43). Summa est plerorumque morborum ad putridam diathesin proclivitas, qui et facile contagiosam naturam induunt. Ipsis vero contagiis haec putrida diathesis se jungere solet. Unde et morborum pestilentium et petechiarum aliorumque cujusvis generis exanthematum frequentia. Multa a turbata digestione mala ac plures systematis gastrici et hepatici affectiones tam febriles, quam febre expertes. Cujus generis quoque esse videtur febris flava inter tropicos endemica, summa digestionis organorum irritabilitate notata ac hepatis aegritudine, saepius illius phlogosi, atque ictero symptomatico nigroque vomitu comitata (44). Omnes morbi celeriter decurrunt, celerrime vero acuti (45). Febres intermittentis typi in India Orientali rarissimae (46). Continuae vero febres ingenti adeo impetu invadunt, ut plerumque ab ipso morbi principio delirent aegri, paucissimisque diebus, imo horis tollantur e medio. Vel sanorum corpora post motus quosvis sudoribus diffluunt, ita ut referat Bernierius, quam primum in itinere, ut ardentem vixque tolerandam sitim expleret, aquam bibisset, hanc roris ad in-

(42) SPRENGEL, *Gesch. T.* V. *pag.* 523. *seqq.* et ZIMMERMANN, *Ueber die Erfahrung pag.* 341. Sic BONTIUS, *de Medecina Indorum l.* 3. *c.* 2. „ Qui apud nos „ in Hollandia rarus est spasmus, hic in Indiis tam familiaris est affectus, ut me„ rito inter endemios ac populares morbos numeretur." De morbo Beriberii Indico cf. Idem *l. l. c.* 1.

(43) BAUR *l. l. pag.* 157.

(44) SPRENGEL *Path.* II. §. 97. *seq.*

(45) SPRENGEL *l. l.* I. §. 773.

(46) ZIMMERMANN *l. l. pag.* 341.

inſtar ex ſummis digitis quaſi effluxiſſe, toto habitu paene arefacto (47). Cutis enim prae aliis partibus ardoris vim funeſtam experitur. Hinc facilis explicatio crebri exanthematis, diverſiſſimae ac horrendae faciei. Namque Zona torrida et leprae, et elephantiaſis, et duplicis illius generis efflorefcentiae (Yaws et Pians Indis dicitur) in quibus omnis perit humana facies, quaeque in miſeros Aethyopes quam maxime ſaeviunt, natale ſolum (48).

In inſula Java ſub fervido udoque aeſtatis coelo quaecunque vel levisſima aegritudo quin et ſimplex catarrhus refractarii ac maligni quid habet. Morborum gravisſimorum vis ingens incolas aggreditur et magnas quotannis ſtrages edit. Aeſtate quaevis adverſa valetudo diſcriminis plena. Cholera intra paucas horas leto dat multos. Dyſenteria plurimorum funerum cauſa. In Jamaica Americae inſula, pari praevalente tempeſtate, colicae et acutae febres vulgares ſunt morbi. Hae brevisſimo tempore inferunt perniciem, illae post ſummos dolorum cruciatus in mortem deſinunt, vel in membrorum reſolutiones. Quot homines ſimul ibi degunt, tot fertur ſeptennio quovis perire, ita ut, niſi novi usque coloni advehorentur, brevi tota popularetur Inſula (49).

Ad utrumque polum ingenii igniculos frigus exſtinguere videtur, corpora conſtringere gelu, vitae torporem inferre, quae nonniſi duro labore contra vim aëris defendi ac muniri potest. Nervorum

(47) Cf. ZIMMERMANN *l. l. pag.* 346.

(48) SPRENGEL *l. l.* III. §. 841. *ſeqq. et* §. 847 *ſeqq.* Gravisſima etiam et maxime contagioſa exanthemata ab Orientalibus terris accepimus uti variolas, morbillos, pestem, lepram &c. BAUR *l. l. pag.* 167.

(49) ZIMMERMANN *l. l. pag.* 348.

rum imminuta ſenſilitas, validisſimis ſtimulis vix excitanda ac movenda (50). In terris borealibus, ſiccis, pleuritides et febres inflammatoriae endemiae ſunt, phlogisticum morborum genus, rarae nervorum affectiones et febres putridae, vix ulla exanthemata, aut cutis morbi, rara etiam contagioſa morborum indoles, quin et contagia aliunde advecta tarde admodum propagari ac cito opprimi ſolent. Regiones frigidae et humidae febrium intermittentium, praecipue quartanarum pertinacium et malorum chronicorum patria. Inter haec hydropes, asthmata, arthritis, rheumata et lymphatici generis vitia, ſcrophulae, atrophiae et rachitis praecipue numeranda ſunt. Quae autem ad has regiones pertinent febres imprimis ſunt lentae nervoſae, pituitoſae, verminoſae (51). Ad littora maris et in ſolo paludoſo putrida accedit diatheſis, quae tamen a frigore chronicam indolem retinere conſuevit. Haec enim dum in calidis regionibus in febrim putridam erumpit eamque acutisſimam, ſub frigido udoque coelo in lentum ſcorbutum prorepit, quem haud immerito morbum putridum chronicum vocaveris, quique in Dania, Norvegia, Anglia, Scotia et Belgio endemius est. Catarrhales tandem morbi endemii ſunt, ubicunque ingens et crebra tempeſtatum aërisque vicisſitudo. Ibi magnus quoque affectionum gastricarum proventus, nec rarae, quae intermittunt febres (52). Quae quidem tempeſtatum morborumque in nostris terris et in Anglia est ratio.

Si nunc annuam epidemiarum vicem contemplemur, unamquamque videmus endemicam conſtitutionem ſuo tempore invadentem, ita ut hyems morbos inferat terrae borealis endemios, aeſtas vero re-

(50) Baur *pag.* 53. *ſeqq.* (51) Baur *l. l. pag.* 165.
(52) Sprengel *Pathol.* II. §. 45. Richter *Spec. Therap.* I. *pag.* 38.

regionum calidarum, ver denique et autumnus aegritudines endemiis eorum locorum maxime respondentes, ad quorum temperiem praevalens horum temporum diathesis quam proxime accedat; in quibus itaque vernalis ac autumnalis coeli inconstantia regnat. Borealis igitur tempestas hyeme praevalens, boreales inducit inflammationes in virilia imprimis corpora robusta, plethorica. Quae quidem phlogistica conditio, licet in aliis corporum generibus haud ita conspicua fuerit, semper tamen hoc tempore in morbis observabitur sanguinis imperium et antiphlogistici regiminis necessitas utilitasque. Haec sub veris mutabili coelo in catarrhalem abit constitutionem, pristinae tamen phlogoseos participem. Quae post aequinoctium vernale enascuntur tertianarii typi intermittentes, aequam virium oppositarum declarant potestatem et aequilibrium quoddam, etiamsi adhucdum phlogistica plerumque constitutio praevaleat. Videlicet, ut procellae magnam quamque temporum vicissitudinem praecedere solent, ita a febrilibus his turbis nova auspicatur rerum epidemicarum conditio. Hisce autem motibus id agit natura, ut aliam in corpore producat temperiem, mutatae temporum rationi adcommodatam, sive, ut immortalis SYDENHAMI verbis utar, „ febrili hac commotione sanguis novum statum et „ conditionem adipisci gestit, qualem mutatus aër aut victus pos- „ tulaverint (53)." Igitur intermittentes illae naturae sunt moli-

(53) Adsentitur HUFELANDUS, qui anno 1808 et 1809 intermittentium Epidemiam phlogisticam diathesin praenuntiasse memoriae prodidit. „ Etwas ähnliches fin- „ den wir im Leben des Individuums. So wie dort die Gattung, so kann hier das „ Individuum lange an Kränklichkeit, Schwäche und nervösem Zustand leiten, bis „ endlich die bisher unbestimmte Kranklichkeit sich in die bestimmte Form eines „ Wechselfiebers concentrirt. Dies wird der Wendepunkt, bewirkt eine völlige „ Metamorphose im Organismus, und nach seiner Endigung fühlt sich der Mensch „ wie neugebohren, und das ganze organische Leben hat einen neu belebten Karak- „ ter." *Ueber die Kriegspest pag.* 91.

limina, suam salutem propugnantis, docente observatione, ab Epidemia immunes vixisse, qui intermittentem praegressam passi fuerant. Atque ita adolescente anno sensim sensimque incalescens tempus oppositam invehit diathesin, quam nervosam vocant, in qua, sanguinis vi fracta, nervorum summa potestas. Testantur hanc potestatem malorum nervosi generis aestate vis et multitudo, maniacorum aestivis mensibus auctus furor et phrenitis, delirium, hydrophobia eo tempore provocata. Praeter hos orientalium et calidarum regionum morbos, adultae aestatis fervens coelum, imprimis si humidum pariter fuerit, putridam constitutionem generat, unde febres putridae et exanthemata affectusque eorum similes, qui in fervida telluris plaga nascuntur. Hinc venaesectionis noxae summusque antisepticorum usus et eorum remediorum, quae volatili stimulo armata sunt. Decrescente post elapsum autumnale aequinoctium aestivo aestu, quum diurnum calorem frigus nocturnum excipiat, multoque humore madescat coelum, vi frigoris inde nocentiore facta, intermittentes iterum revertuntur, ast alius prorsus ac vernales indolis, biliosi, aut nervosi generis, inconstantes, pertinaces, saepe quartanarium habentes typum, quas plurima mala chronica insequi solent. Hae, vernalium instar, virium et conditionum oppositarum aequilibrium denotant, ac saepenumero grassantur, donec phlogistica hyemalis diathesis rerum potiatur (54). Hoc anni tempus plerumque febres remittentes gastricae, biliosae, catarrhales ac rheumaticae et multiplex affectio chronica infestant, qui omnes autumni morbi, nisi temporum anomalia contingat, vitae torporem et debilitatem habent sociam atque a phlogistica conditione sunt remotiores.

Quan-

(54) Cf. BAUR *l. l. pag.* 155. *seqq.*

Quantum autem valeat aëris κατάστασις in morbis mutandis, optime docent illae Epidemiae, quae, a contagio, ſeu miasmate quodam ortae, multas regiones eodem tempore infestarunt. Exempli loco ſit Catarrhus ille epidemicus, ſive Influenza Anni 1782, Catarrhi Rusſici nomine celebris, quem A°. 1781 in Indiis Orientalibus ortum esſe ferunt, quique ſequenti anno 1782 primo Moscoviam et Petropolin petiit, deinde Borusſiam et omnes Europae oras ad Italiam et Hispaniam usque pervaſit. In ſalubrioribus locis hujus morbi mite adeo ingenium, ut vix a vulgari catarrho diſtingui potuerit. In terris vero altioribus et montoſis tum narium haemorrhagiae criticae aliaque ſymptomata, tum antiphlogisticae medicinae proſper eventus inflammatoriam indolem declararunt. In depresſis denique locis et humidis in ſpuriam peripneumoniam vertit, ac ſinistra in omnibus ſuit exhauſtae vis vitae ſignificatio (55). Vidit et HUXHAMUS febrim catarrhalem epidemicam pleuro-peripneumoniae naturam induisſe per loca montoſa et algida, dum in humilioribus ad lentam, ſeu nervoſam, quae dicitur, febrim proxime accederet (56).

Quodſi praeter has tum ſenſibiles, tum occultas atmosphaerae proprietates cogitemus, quam differat vario tempore multarum rerum, quae ad communem vitae uſum pertinent, ratio, quarum ſingulis magna corpora mutandi vis est, quot et quantas vicisſitudi-

(55) SPRENGEL *Geſch. T.* V. *pag.* 495. *ſeqq.* et *Pathol.* §. 42.

(56) *l. l. V.* II. *praef. pag.* 9. Eandem rem confirmat HUFELANDI Obſervatio de Epidemia pestilenti, quae Ao. 1813 in Germania grasſata est. ,, Nicht blos die individuelle ,, Verſchiedenheit eines ſchon vorher ſehr geſchwächten oder nervöſen Körpers, ſondern auch der Endemiſchen Karakter mächte hierin einen auffälleuden Unterſchied. ,, In Breslau, bei Torgau, waren die Anzeigen zum Aderlasſ ſehr ſelten, und es ,, würde nur wenig gebraucht; da hingegeu in Berlin es offenbar viel häufiger an- ,, gezeigt war, und met Nutzen angewendet wurde." *Über die Kriegspest p.* 69. *ſeq.*

dines fubeat altera illa melioris nostri partis vita, cum fui fint cuique aetati mores, fi ad ingentes illas rerum converfiones in hac terrarum orbe faepenumero factas adtendamus, fi denique reliquas omnes potentias computemus, quas nocentes vocant Pathologi, non est quod miremur, magnas fieri naturae organicae mutationes, pluribusque ex his confpirantibus, communem quandam nasci ipfius conditionem, quae manebit, donec novus oriatur rerum ordo.

Multam videmus vegetabilium gentis varietatem, cum pro locorum tum pro temporum natura, videmus et multam animalium. Cuique enim regioni fuae funt plantae, fua animalia incolae. Plantas nonnumquam videmus per plures annos continuos laete crescentes et florentes, vitam degentes vere vitalem perfectamque, per alios vero languidam vitam trahentes ac quafi valetudinariam. Quae cum in plantis obfervemus omni fenfu expertibus (57) an in

(57) Non illam fenfilitatem hic volumus, quam organicam dixit acutisfimus BICHAT, qua fola intelligi potest ftimulorum cum quibusvis corporis vivi partibus nexus, fed fenfum alterum illum, confcientiam junctam habentem, naturae animali magis adfinem. Neque enim nobis placet DARWINI hypothefis, qui poëta magis, quam phyfiologus plantis et fenfus nostris fimiles et commune fenforium et voluntatem et verum amorem aliosque animi motus adfinxit. In qua quidem hypothefi analogico ratiocinio abufus esfe videtur DARWINUS. Obfervavit quippe animalia, ut fibi profpiciant, motus quosdam perficere, hosce vero a certis quibusdam fenfationibus regi atque moderari, quibus evitent noxia quaeque, falubria vero appetant, in fimiles motus licet et minore et vi minores cieri quandoque vegetabilia; ergo et hic analogum quid animalium fenfationibus horum motuum caufa quin haberi debeat, non dubitavit. Sed rogatum hunc velim, num ad ratiocinium analogicum una alterave fimilitudo fufficiat, an nulla ftructurae vegetabilis fimplicitatis habenda est ratio? An difiinctos fenfus ftatuam, cum ne vel minimum five fingularis, five communis organi fenforii reperiam vestigium? An confenfuale illud commercium adesfe dicam, ubi nullos nervos invenio, ubi quamque fere partem fuo more viventem ac laefam imo fublatam video, absque ut vegetabile corpus quid inde capiat detrimenti? An ego mihi perfuadeam, Dionaeae, quam vocant, muscipulae motus ex diftincta ftimulorum perceptione proficisci, cum eodem modo eadem vi claudatur, fi ipfi digitum admoveam, qua infectum nocivum interficit? Sane fi haec fit vera inductionis ratio, nonne eodem jure et plantae mentem eamque rationalem tribuere posfemus?

in homine cujus tanta est fenfilitas haec fieri negabimus. Multum inter hominum temperamenta, quin interfit, dubitat nemo, quid quod et gentes hac ratione differre inter omnes conftat, an igitur abfurdum videri posfit, idem de temporibus ac generis humani aetatibus affirmasfe, cum et in hisce earum rerum, unde haec proficisci creduntur, dispar fit ratio. Nonne et ftatui posfet ad harum rerum modum quovis tempore commune quoddam fieri temperamentum, communem quandam diathefin vel et feminium, ac proinde commune quovis tempore morborum genus. Nafcitur fic vulgaris et epidemica, ut ita dicam, corporum temperies ftationaria, a diuturna quadam aëris caeterarumque rerum communium affectione inducta, qua ad certos modos componuntur corporum vires variaeque partes, et partium confenfus, ita ut eosdem quafi fonos edant, dum par fit rerum irritantium perceptio. Atque inde et certa humorum fuboritur crafis et ad certam valetudinem proclivitas. Phlogisticis temporibus irritabilitati robore juncto circulationis vigore notatis fanguinea temperies respondet, biliofis temperamentum cholericum, nervofis nervofum et melancholicum nervcum, pituitofis denique et autumnalibus phlegmaticum et melancholicum ab aegrotante abdomine et turbata circulatione abdominali epidemicum fieri folet.

Multis tamen videri posfet huic, qua ufi fumus argumentationi, erroris quid fubesfe, cum endemicum illud, quod et corporum naturas et temperies et valetudinem determinare diximus, epidemicae illi morborum varietati repugnare videtur. Verum, fi rem accuratius perpendamus, haud parvam reperiemus inesfe utrique notioni fimilitidunem. Nam eadem et Epidemicae et Endemicae Conftitutionis origo. Quod autem haec regioni cuidam peculiaris

fit,

ſit, id quidem idoneam ex communium rerum juncta vi atque potestate interpretationem habet. Ab iisdem epidemicis cauſis continuo agentibus Endemica oritur Conſtitutio, quae nihil aliud est, niſi ipſa Epidemica Conſtitutio, quaecunque illa fuerit, in plures annos protracta tandemque certo cuidam loco propria ac peculiaris facta. Illud itaque morborum genus, quod regionem prae reliquis exercet, indigenum ſeu endemicum dicitur. Quod tamen non ita intelligi debet, ac ſi numquam aliud ibi populariter graſſaretur, quin ſaepenumero accidit, ut mutata hac endemica conditione alius naſcatur rerum facies, quae ſi brevior mutatio et breve erit peregrini morbi dominium, non ita diu post priſtino rerum ſtatu reſtituto; et inde quidem facile perſpicitur, quo pacto in regione quadam vel Endemica Conſtitutio mutari, vel Epidemica quaedam ſuboriri posſit, quae tamdiu praevalebit, quamdiu Endemicam vi ſuperet. Conſtitutionis Endemicae mutationem in dubium vocabit nemo, qui vel antiquam illam Germaniam cogitaverit, de qua haec ſcripſit ſummus HALLERUS: „ Rhenus olim „ frequentisſimo gelu coibat, ut Galli limitaneum flumen etiam „ hostiis exorarent, ne patiens dorſum praeberet tranſituris in mitiores terras ferocibus Germaniae populis. Omnis aberat a „ Germania vitium laetitia, et Alces denique, ultimi nunc fere „ ſeptentrionis incolae, ſaltus tunc incolebant Rheno ſinitimos. „ Exciſis inde vastisſimis ſylvis promotus est nivium defluxus, „ diminuta vaporum ex terra halantium copia et ipſum coelum „ ita ſiccatum atque mitigatum, ut non copioſae ſolum vites, „ ſed generoſae ſint apud Germanos omniumque frugum ſe ea „ regio patientem praebeat. Quidni vero morbi genium deflectant, ſi ipſe denique aër et coelum et anni tempeſtates mu-

„ tantur (58)?" Epidemicae Constitutionis in Endemicum omne ac vel in ipsos mores potestatem et multa alia probant, et illud, quod de nostratibus scripsit HUXHAMUS in *Proleg.* ad *Observationes* suas *de Aëre et Morbis Epidemicis pag.* 12: „ Nec incitat aliquid magis grave Belgarum vulgus, quam rigi- „ dum diuque durans gelu, tunc temporis enim vel cum lepidis- „ simis Gallis festivitate concertant." Nec rara est medicorum observatio, endemicum illud, unde nostris tot chronica mala evenire solent, hyberno tempore ab epidemica diathesi ita vinci, ut et hydropes illi et phthises pituitosae et scorbutus vel sanentur cito, vel saltem, tardo ingenio posito, acutam formam adsciscant.

Nec in hisce suos umquam discipulos fallit Natura, optima rerum magistra, quum pari fide, qua arbores fronde ornantur et suo tempore fructus ferant, et morbi fiunt et laetae sanationes. In his enim nihil incompositi, nihil vagi reperies. Siquidem quaeque aëris diathesis ubique terrarum similes eosque constantes sortitur effectus. Ubivis siccae frigidaeque tempestati, aut aëri elastico, electrico fluido gravi tonica et adstringens virtus. Ubivis siccum calidum vim habet stimulantem, nervos moventem, atque diaphoreticam. Sua semper frigido humido laxandi et debilitandi facultas, qua et perspiratio impeditur et patiuntur digestionis organa. Ubivis calida udaque tempestas veneni septici adinstar agit et pestilentium morborum mater est. Ubivis denique mutabilis et inconstans temperies respiratoriis instrumentis noxia et membranis mucosis et musculis catarrhalem ac rheumaticam morborum indolem gignit.

De

(58) *Praefationis ad Historiam Morborum Uratislaviensium pag.* 5. *et* 6. *Laus. et Genev.* 1746.

De electricitate autem idem adfirmari potest. Etenim recentiorum diligentia, quibus omnem hanc cognitionem debemus, compertum est, nihil fere in rerum natura inveniri, quod tantam habeat cum illo, quod vitae principium dicimus cognationem, unde multi utriusque identitatem, an jure quidem, haud ego dixerim, probare conati sunt. Id vero negari nequit, vix ullum esse efficaciorem vitae stimulum, certa lege omnes vitales motus incitantem augentemque. Testis est Ccl. HUFELANDUS: „ Insignis „ praesertim efficaciae est electricitas, quae, quo major in corpore „ reperiatur, eo major est vis vitae, stimuli recipiendi capacitas „ et reactio, quo minore vero corpus electricitate praeditum „ est, eo debilior est vitae operatio, eo magis putridis et ner„ vosis morbis obnoxium est. Haec autem praecipua est ratio, „ quare continuo siccus idio-electricus aër (qui electricitatem „ non abducit, sed humano corpori firmiorem substantiam tribuit) „ semper ad morbos inflammatorios, continuo vero humidus aër „ (qui semper loco conductoris agit et electricitatem corpori „ nostro subducit) ad morbos putridos ex debilitate corpus nos„ trum disponit. Ideoque etiam sola electricitatis in humano cor„ pore diversa conditio particulares morbos, vel et quando cau„ sae generalius agunt, morbos epidemicos producere potest (59)." Atque ex cognitis hisce, si ad incognita valeat conclusio, verosimillimum est, et ei, quicquid occultarum causarum sit, eandem subesse certitudinem, ulteriori forsan posterorum experientia vindicandam.

Quo magis haec naturae virtus eluceat, collatis iis, quae antea

(59) *Pathogeniae pag.* 87. *seq. Ed. Lat. L. B.* 1800.

tea ex obſervatorum ſcriptis notavimus, nonnullas leges indagabimus, quas in epidemicis vitae principium ſequitur.

Vitae motus cieri novimus, tum a viribus, quae in corpore inſunt, tum ab externis rebus, quae huic admoventur, quasque ſtimulos vocant. Ut autem horum cum internis viribus nexus rite intelligatur, percipiendi quandam facultatem in corpore ſtatuere oportet. Quoniam vero hi ſtimuli disſimiles ſaepe ſortiantur effectus, quin diſpar ſit perceptionis ratio dubitari nequit. Nimirum pendet haec ab ipſius vitae conditione, quae a multis rebus affici poteſt. Haec autem vitae conditionis, quaeque hanc ſequitur ſtimulorum perceptionis diverſitas, vitae motus nunc cohibet nimis, nunc vero praeter ſanitatis modum incitat, quae, ſi ad ſingulos homines reſtricta ſit, *ſporadica* erit, ſi vero ad plures ſimul pertineat, a communium rerum concurſu nata, *epidemica* fiet: unde et certus orietur reactionis, quae dicitur, ad ſtimulos modus, pluribus communis, *epidemicus*. Itaque ubi aër frigidus, ſiccus, elaſticus, electrico fluido gravis, verbo, ubi phlogistica fuerit atmosphaerae κατάστασις, haec tonica ſua adſtringente virtute, imprimis ſi et res caeterae conſpirent, reactionem provocabit, validam, aequalem, tenacem, unde praeſertim in iis, qui natura ſua in hanc diatheſin proniores ſunt, phlogistica naſcetur conſtitutio, morbos inflammatorios producens, in quibus multa eaque fida critica molimina. Illi vero quibus infirmior eſt partium compages optime degunt, quique laxitate et morbis ex torpenti vi vitae laborant, multo melius habent, nec raro ſanitatem recuperant. Calido vero et ſicco coelo vim vitae ſtimulante, morbi fiunt acuti quidem, ſed in quibus nec illa vitalis tenacitas, nec robur ille, aut virium vigor, nec tandem illa reactionis conſtans.

ſtantia et criſium fides, quippe quae coeli temperies non alium ſortitur effectum, quam illa, quae incitantia dicuntur remedia, quae vitae vim valide quidem, nec tamen diu incitent, quaeque et hinc recte volatiles ſtimulos nuncupant. Aër humidus, levis, non electricus, vi debilitante, relaxato habitu et imminuto vitae vigore, debilem reactionem movebit et anomalam, multas in organismo turbas concitantem. Humiditati calor ſi accesſerit, humorum compagem deſtruit, ſolidis ſummam inducit laxitatem, ac ſepſin promovet viresque exhaurit. Reactio inordinata maxime, motus vitae celeres ſaepe ab adjuncto calore, ſed incompoſiti, vagi, neque ullius tenoris, hinc vel in ipſo morborum principio magna virium jactura, quam mox triste fatum ſequitur. Humidum frigidum nervorum ſenſum ſopit, opprimit, ſolidorum tonum frangit. Hinc circulationis et omnium motuum torpor, ſtimulos percipiendi facultas labeſactata, reactio vix excitanda, tarda, debilis, morborum ingenium lentum, pertinax, naturae vis medicatrix minima, criſes nullae fere aut imperfectae oppresſa ſenſilitate, mobilitate vero languida, irritabilitate infracta.

Haec jam, pauca licet, quae longa experientia fida atque conſtantia comprobavit, ſpem injiciunt, fore ut olim hae leges penitus cognoſcantur et ex naturae judiciis interpretari posſint. Quae, ut jure exſpectemus, haud intermisſum requiritur medicorum in omnibus telluris locis rei epidemicae ſtudium ac plurimorum annorum fida experientia. Non enim niſi ex ingenti obſervationum ſylva tantum opus perſici poterit. Sed illud, proh dolor! artis noſtrae ſatum esſe videtur, ut, cum magni illi opinatores haud deſint, raros invenias obſervandi ſtudii cultores, qui, BACONEM illum Verulamium ducem ſecuti, veram naturae ſcientiae rationem perſpec-

ſpectam habeant. Quippe plurimi ſabulas quasdam componere atque ornare malunt, lepidas illas fortasſe, ſed parum utiles, ut aliis ingenium probent, quam labore improbo omne ſtudium in obſervatione collocare et ipſi ſua conſerre, ut in ſummum generis humani emolumentum naturae historia in dies evadat perſectior, atque ſic tandem abſolvatur opus illud immortale, quod non ab unius ingenio aut laboribus, ſed ab omnium aetatum conatibus exſpectandum est. „ Longe enim aliter, uti recte Cl. GREGORY, „ res ſe habet in naturae ſcientia, aut in arte medica, cum ista „ ſcientia adeo conjuncta, quam in artibus elegantioribus, in qui- „ bus ſingulare ingenium, ratum illud naturae donum, tantum „ valet, ut in multis prorſus necesſarium ſit, et ſaepe, quamvis „ parum cultum, fere ſufficiat et felices illos, quibus conceditur, ad miram excellentiam ſummosque in arte ſua honores „ perducat. Ut ſileam Homerum, qui ſolo forſan ingenio num- „ quam aliis dato ſummam in poëſi perſectionem ſummosque ho- „ nores attigit, liceat Raphaëlis exemplum proferre, qui felicis- „ ſimo a natura ingenio donatus, quod multo ſtudio et indefes- „ ſo labore colere et exercere curavit, picturam ſi quis alius „ ad ſummam perfectionem perduxit. Tantam vero in illa arte „ excellentiam, neque posteri aemulari potuerunt, neque ipſe aut „ praeceptis docere, aut proprio ſuo exemplo discipulis ſuis im- „ pertiri potuit. Unusquisque vero ſcientiae cupidus ſeculorum „ praeteritorum praeceptis et inventis et doctrina numquam peri- „ turis exiguo labore potiri et frui potest eademque nihil immi- „ nuta aut corrupta et ſaepe multis novis adjectis inventis locu- „ pletiorem posteris tradere, ut quisque discipulus magiſtros ſuos „ et quodque ſeculum (niſi res adverſae ceciderint) ſuperiora

„ om-

„ omnia vera ſcientia ſuperare debeat. Sacrum ſcientiae flumen, „ quod nunc mirum et pene immenſum contemplamur et vene- „ ramur, ex parvo et ignoto fonte derivatum labitur atque labe- „ tur per omne aevum, primo exiguus rivus, incrementis, quae „ plurima, quamvis lenta, accipit, crescit paulatim in amplis- „ ſimum amnem, confluentibus nimirum undique innumeris rivu- „ lis, quorum ſinguli, cum tanta mole comparati, nihil fere ad „ ejus magnitudinem conferre videntur; omnes vero omnibus con- „ geſtis aquis flumen tandem efficiunt, qualem jam ſpectamus, „ vastum, amoenum, felicia, quae praeterfluit arva irrigans at- „ que foecundans. Et profecto, ſi hominibus umquam licet glo- „ riari, certe de hoc maxime gloriandum, tantum ſcilicet pro- „ fecisſe genus ſuum et tam praeclare tamque perenne existere inge- „ nii humani monumentum. Tantam vero ſcientiae humanae magni- „ tudinem, quicunque rite contemplatus fuerit, is certe et ad „ magna natam esſe mentem humanam agnoscet et plura et ma- „ jora adhuc ab ea exſpectanda esſe fatebitur, et ſimul tali no- „ titia imbutus, neque propria ſcientia, quam exiguam esſe ſen- „ tiet, neque aut veterum aut magnorum Auctorum opinionibus „ ultra modum addictus, neque novarum rerum nimis cupidus, „ neque novis opinionibus nimis credulus erit, ſcilicet qui bene „ noverit, longe alia ratione, quam aut veterum auctoritate, aut „ novorum ſcriptorum opinionibus et conjecturis promovendam „ esſe ſcientiam (60)."

Nec ſolis medicorum laboribus naturae legum in morbis epidemi- cis cognitio abſolvi poterit, verum etiam phyſicorum junctam ope-

ram

(60) *Conſp. Medic. Theoret. Praeſ. pag. 43. ſeq. Ed. 4.*

ram postulat. Quamdiu enim atmosphaerae, quam dixit HUXHAMUS, historiam generalem ac perfectam desideremus, quamdiu meteorologica illa scientia adeo manca sit atque incerta et dubia, nulla spes affulget, fore ut haec Constitutionis Epidemicae doctrina talis existat, qualem cupimus. Igitur optandum foret, ut et hoc meteorologicum studium pro dignitate coleretur, ut tandem ex junctis physicorum et medicorum laboribus, morbis cum aëris constitutionibus comparatis cujuscunque constitutionis et morbi cognatio penitus cognosci posset, et, qua lege haec omnia fiant, indagari, cujus cognitionis, quanta foret utilitas, nemo non intelligit.

Tandem in doctrinae defensionem etiam nostrae aetatis experientiam protulisse liceat. Testis est HUFELANDUS, cui nemo, qui egregia ejus scripta perlegerit, fidem habendam esse negabit. Haec autem hac de re prodidit (61): „ Ea est rerum quas „ animatas et organicas dicunt ratio, ut continuas subeant mu„ tationes atque alio tempore vitalem magis vitam degant, „ alio quasi langueant ac torpeant, id est, ut nunc phlogistica „ praevaleat corporum conditio, nunc vero asthenica, quae in „ omnibus morbis cum hominum, tum animalium sese mani„ festat, eosque multimodis mutat. Diligens quisque obser„ vator, qui aliquamdiu medicinam fecit, de hac re non du„ bitabit, quam summi in arte viri omni tempore confirmatam „ viderunt. Negandae sunt illi, quicunque hanc neget, pri„ mae vitae leges, quaeque ad hanc requiruntur conditiones. „ Nonne enim id, quod vitam dicimus, continuas ab externis

„ re-

(61) *Ueber die Kriegspest*, pag. 84. *seqq.*

„ rebus innumeris patitur mutationes? Nonne adinſtar flammae,
„ quae in aëre corrupto opprimitur, in puro vero aëre inſurgit
„ altius, variam quoque experietur atmosphaerae conditionem,
„ nunc laete ardens, nunc paene exſtincta? Pervolvamus magno-
„ rum virorum, qui haec obſervarunt, ſcripta. Quaenam res hos
„ permovit, ut, quam multos annos ſalutarem experti fuerant,
„ methodum mutarent? Non profecto huc ducti ſunt, ut ſeculi
„ mori obtemperarent, aut hypotheſi cuidam. Ab ipſis accipite,
„ quam perculit eos remediorum, quae in ſimilibus morbis huc-
„ usque feliciter adhibuerant, experta vis noxia. Quis nostrum
„ non eadem confirmata vidit? Quis non, ut unum hoc memo-
„ rem, venaeſectionem, quam antea in acutis crebro et utiliter
„ inſtituerat, postea minus proſuisſe, imo nocuisſe obſervavit?
„ Videlicet disſimilis est vario tempore atmosphaerae conditio
„ mixtionis, elasticitatis, electricitatis et caeterarum rerum ratio-
„ ne, quae vitae organicae modum determinant. Id autem,
„ quo vita ne minimum temporis articulum carere potest, hanc
„ inflectat necesſe est. Praeterea huc quoque faciunt victus, an-
„ nonae caritas, communia animi pathemata, uti terror, anxietas,
„ gaudium, ſeculi mores &c. Igitur obſervatio regnantis ejusmodi
„ Conſtitutionis in dubium vocari nequit. Haec vero Conſtitu-
„ tio, ſive certa lege anni tempora ſequitur, *annua* dicta,
„ ſive per aliquot annos eadem est morborum diatheſis, quam
„ *ſtationariam* vocant. Neque vel hoc mirum nobis videri po-
„ test, qui vitam telluris, aëris tempestatem ac fertilitatem ſimi-
„ lia pati novimus. Videmus ſaepe per annorum ſeriem vel ſic-
„ cum, vel humidum, vel frigidum, vel calidum praevalere, un-
„ de annorum fertilium vel non fertilium ſeries. Similiter ſubti-

„ liores quaedam in tellure atque atmosphaera fieri posſunt mu-
„ tationes, quas nec aëris temperies, nec fertilitas, verum vitae
„ animalis conditio declarabit. Id quidem ultimis his viginti annis
„ obſervare licuit. Postquam aliquot annos gastrica Conſtitutio
„ regnaverat, cum bello, ſub finem praecedentis ſeculi, exorta est
„ diathesis nervoſa asthenica, qua methodus evacuans abolevit,
„ increbuit vero remediorum incitantium roborantium uſus. Ner-
„ voſa haec diatheſis, quum anno 1806 et 1807 ad ſtatum perve-
„ nisſet, per communem illam annorum 1808 et 1809 intermit-
„ tentium Epidemiam in inflammatoriam abiit, quae ſenſim viri-
„ bus aucta atque adulta anno 1811 praecipue viguit ac longe la-
„ teque populata ad antiphlogisticam medicinam coëgit vel eos,
„ qui ab hac alieniores fuerant. Ecquid mirum videbitur, ob
„ eandem rationem, ob quam bellica pestis anno 1807 nervoſam
„ ſumme indolem adſcivit, anno 1812 phlogisticam factam fuisſe.
„ Pestis enim bellica organismi humani productum est, quod cor-
„ pora contagio ſuo adficit ac certam quandam morbi formam
„ provocat. Hinc non est, quod miremur, reactionem inde ex-
„ citatam peculiari cujusque hominis temperie, vel communi na-
„ turae organicae conditione determinari, atque alias nervoſi quid
„ prae ſe ferre, alias quid phlogistici. Par est aliorum conditionis
„ morboſae productorum ratio. Febris ſcarlatina, morbilli, febris
„ flava ſimilia ſunt meteora temporanea, quae organismi conditione
„ individua vel communi modificantur. Quamobrem hos quoque
„ mutat Epidemica Conſtitutio, atque Epidemiae ſcarlatinoſae, mor-
„ billoſae, dyſentericae quin et pestilentes obſervantur, nervoſae, pu-
„ tridae, aut inflammatoriae indolis." Ita et alio loco optimo ſuo ju-
re idem ille Auctor: „ ex hisce jam Conſtitutionum vicibus, inquit,

„ de-

„ derivat thesis practica momentosissima simul et verissima; esse „ nempe stationarias medendi methodos, uti stationariae sunt morborum Constitutiones, atque hinc per plures subinde annos continuos antiphlogisticis, per alios irritantibus roborantibusque, „ per alios denique evacuantibus praecipue utendum esse. Erraret, quisquis variam illam artis faciendae rationem huic vitio „ vertere vellet, quae quidem hac sua sese ad variam naturae conditionem accommodandi facultate probatur quammaxime. Nec „ majori jure culpantur artifices, quod et magno STOLLIO contigit; quicunque enim aliquamdiu artem exercuerit, hunc profecto non latebit, alio tempore aliam medicinam aptiorem esse „ magisque communis usus (62)."

Alter, quo teste utor, RICHTERUS est, qui refert, sub finem elapsi seculi per tres annos continuos febres Gottingae in putridam diathesin proclives fuisse ac saepe apparuisse petechias (63).

Vera igitur mihi videtur haec doctrina, quod fido nitatur testimonio, quod nullis aliis phaenomenis, quae vera comprobata sunt repugnet, imo quibusdam eorum analogici ratiocinii ope intelligi possit atque interpretari, quod aeternis illis legibus, quas corpori humano statuit natura, respondeat, ac tandem, quod confirmetur aetatis nostrae observatione atque experientia.

Meliori, sentio, haec causa digna fuisset defensore. Ast spero fore ut, quos haec mea defensio non movit, ut veritatem doctrinae propositae agnoscant, HIPPOCRATIS auctoritas moveat et SYDENHAMI et STOLLII et HUFELANDI et RICHTERI, moveant denique ipsa naturae judicia, quorum hi fidi interpretes.

CA-

(62) *Over de Zenuwk. pag. 7.* (63) *l. l. Vol. I. pag. 35.*



CAPUT TERTIUM.

DE DOCTRINAE USU.

Optimo suo jure Cous ille artem longam, judicium difficile dixit. Quae, cum tot ac tantarum rerum complectitur notitiam, quarum et singularum rationem habere et conjunctarum summam colligere oportet, non injustae prorsus videri possunt medicorum de vitae brevitate querelae. Sed et alia artifici nascitur difficultas, quippe cui plerumque de rebus a sensu remotis judicium ferendum, nonnisi mentis oculis capiendis. Nec vero alia re melius ingenium probant summi quique artis magistri; quibus tamen cum haud eadem omnibus sit mentis acies, inde maximae de morborum natura et remediorum usu inter eos subortae sunt controversiae ac labefactata est medicinae fides. Tanto malo non aliunde, quam a ratione medela peti potuit, qua auctore ex ingenti observationum et experimentorum sylva, quae certiora reperta fuerant, colligi, ac inde universalia condi coeperunt theoremata medicinalia. Atque haec quidem universalis illius Pathologiae ac Therapeutices origo, quarum illa circa communes corporis humani affectus sive morbos simplices versatur, sive partes firmas spectent, sive fluidas, seu denique ipsam vim vitae, haec vero communia horum affectuum agitat auxilia, commodeque describi posset scientia communibus artis auxiliis rite utendi. Utriusque vero tum Pathologiae

uni-

universalis, tum Therapeutices (quae ab intellecto inter artis theoremata et remedia nexu curationes morborum docet) magna est cum disciplina nostra cognatio (1). Nam optime docuit Constitutionis Epidemicae observatio, quid morbis commune, quid proprium, quamque egregie falluntur illi, qui morborum symptomatum non causae remedia quaerunt ac quodvis symptoma morbum dicentes huic sua specifica adaptant. Neque aliunde, quam ex utraque hac, quam memoravimus disciplina, vera ac philosophica peti poterit morborum notitia, nec melius quam hisce componi innumerae medicorum lites. Scilicet nihil medicis saepius imponit, quam fallax morborum facies, cum alius prorsus naturae morbi eandem saepe mentiantur indolem, quorumque dissimilis est facies, haud raro ab eodem vitio nati reperiantur. Ea nimirum est omnium corporis humani partium conspiratio, ut quamprimum pars quaedam morbi vim experiatur, omnes opem ferant ac communem salutem propugnent, unde, in quem locum hostis impetum fecerit, saepenumero determinari vix potest, siquidem haud raro in loco a morbi sede quam remotissimo majores turbae fiant. Adparet igitur, quam facilis hic sit error, a quo quidem haud certius cavebimus, quam Therapeutices illius universalis studio et diligenti Epidemicae Constitutionis observatione.

Quae monuimus, catarrhi exemplum illustrabit. Hic certe, si-quis alius, vulgaris morbus omnibusque, ut videtur, notissimus, cujus vel mulierculae nostrae fidam medicinam norunt, hic morbus, inquam, utut similis facie, natura tantopere differt, ut quibus remediis in alio homine, alio tempore catarrhum cito ac tu-

ty

(1) De hujus Therapeutices universalis usu cf. egregia immortalis PARADISII Oratio in *Opusc. Acad. pag. 57. seqq.*

to ſanaveris, certisſimum in alio ac letalem induces phthiſin. En, quae de hoc morbo egregia quondam ſcripſit STOLLIUS: „ Multa ab iis peccari video in cura catarrhorum, qui externa „ ſolummodo morbi facie, ſemper eadem, contenti, etſi toto „ coelo differens aegritudo ſub eadem catarrhi larva delitescat, „ rei viscera non rimantur. Hinc tusſim veſperi maxime noctuve „ pulmones ita quatientem, ut praeter hanc nullum aliud memo- „ rabile ſymptoma hominis artem ignorantem attentionem in ſe „ convertat, catarrhum dicunt, praeprimis ſi adſidua faucium „ irritatio adſit et acris materiae in easdem depluentis ſenſus. „ Quas viderim ſanaverimve diverſis temporibus catarrhi ſpecies „ et quibus notis ſingulas discriminaverim, paucis exponam. Ca- „ tarrhum benignum ortamque febrem catarrhalem benignam, co- „ ryza, gravedine, raucedine et ophthalmia ſeroſa ſtipatam ea „ plerumque tempeſtate frequentem habuimus, qua aer multum „ incaluit, corporave in ſudores disſolvit, aurae ab Arcto acu- „ tius ſpirantis flamine identidem compresſos. Manna, nitrum, „ althaea, opium hic requirebantur et fere ſola ſufficiebant. „ Aliam catarrhi ſpeciem inflammatoriam adpellavi eamque pleu- „ ritidis aut peripneumoniae rudimentum et quoddam alterutrius ini- „ tium arbitrabar. Catarrhi hi inflammatorii Epidemiam verarum „ thoracis inflammationum praecedunt, et, antequam hae ingruant, „ quibusdam quaſi velitationibus imminenti populari ſtragi prae- „ ludunt. Sed etiam tum, cum Epidemiae vis jam elangueſcit, „ catarrhus adhuc aliquamdiu viget atque omnium ultimo re- „ ceptui canet. In ipſa ἀκμὴ Conſtitutionis pleuriticae quidam „ aut ſanisſimi degunt, aut nonniſi catarrho vellicantur, ii vide- „ licet, quos minus idoneos offendit popularis labes. His aeque

„ ac pleuriticis methodus antiphlogistica opitulatur. Peripneu-
„ moniae nothae ſuperius deſcriptae praecurſor plerumque aut
„ comes aut pedisſequus catarrhus est, quem malignitatis crimi-
„ nantur, quod benigni catarrhi curationem, mannam, nitrum,
„ emollientia et anodyna vespertina omnino reſpuat et phleboto-
„ miis iteratis praecipue in febrem abeat malignam; at oportue-
„ rat catarrhum hunc ab ipſa peripneumonia notha non diſtinxisſe,
„ cujus is inferior ſolum gradus est, eandemque utrique medicinam
„ oppoſuisſe. Febris bilioſa ſubinde thoracem invadit et pleuri-
„ tidem aut peripneumoniam in quibusdam prae ſe fert, in aliis
„ vero mitior febris minoraque thoracis incommoda ſunt, ut
„ aegri ſe ſolo catarrho vexari credant. Qui curam hujusmodi
„ catarrhorum ſuscipit, turpisſime labitur, ni eorundem originem
„ gastricam perſpectam habeat nesciatve eos esſe quaedam cona-
„ mina aut veluti praeludia peripneumoniae pleuritidisve bilioſae,
„ aut febris bilioſae mitificatae modificationem ſolum quandam ac
„ luſum. Bilioſis id genus catarrhis antibilioſa fit medicatio,
„ cujus praecipuam partem vomitio conſtituit, arte concitata.
„ Grasſante epidemico ſive adultorum ſive infantum catarrho, in
„ naturam atque indolem febris acutae tunc temporis praedomi-
„ nantis inquiſivi. Catarrhi enim, cujuscunque originis ſunt, ple-
„ rumque nullos ſpecificae ſuae indolis certos characteres, ſed
„ ambiguos atque omnibus et diverſisſimis catarrhis communes ha-
„ bent atque aegritudines ſunt adpellandae inchoatae ſolum et
„ nondum ita effictae, ut ſemper ac tuto a ſe invicem digno-
„ ſcantur. At vero imperitans acuta febris, ſub qua catarrhalis
„ conſtitutio militat, luculentioribus plerumque et minime dubiis
„ notis inſtructa, morbificas cauſas cauſarumque ſedes et aptam

„ me-

„ medendi rationem docet, atque ita, ſuam ipſius indolem pro-
„ dendo, de natura congeneris catarrhi ambigere non ſinit. Id
„ etiam investigare ſolebam, quamnam in febrem acutam popu-
„ laris catarrhus abeat, aut ſuapte nonnumquam, aut ſinistra me-
„ dicatione irritatus. Catarrhos enim inflammatorios in veras us-
„ que pulmonum inflammationes intendi vidi, bilioſas vero in
„ peripneumonias pleuritidesque ſpurias bilioſas. Perſpecta catar-
„ rhi, de cujus natura et medendi modo mecum ipſe discepta
„ bam, in morbum quemdam acutum mihi aliunde cognitum
„ promtitudine atque ſic agnita utriusque cognatione, et ipſum
„ catarrhum et ejus ſanandi rationem asſequebar" (2).

Quam falſa autem ſit ſymptomatica, quam dicunt, morborum dis-ſtinctio, ipſa natura docemur, quae, cum ſub una praevalente Conſtitutione quamplurimos disſimillimae formae affectus redegerit, ejusdem naturae ac pari modo curandos, vel hoc ipſo quaſi monuisſe videtur, non ab externo habitu aut forma petendam esſe morborum analogiam, verum ab interiore indole ac communi, quod ſubest, vitio. Cujus analogiae rationem tenebimus, quamprimum regnantis epidemicae febris habuerimus notitiam, ad cujus normam omnes ſeſe componunt, et cum qua, tanquam exemplari perfecto atque abſoluto, caeteri omnes comparari debent, ut de morborum convenientia aut disſimilitudine tuto judicari posſit. Atque hinc intelligitur, quantis difficultatibus prematur methodus in hac diſtinctione fundata, qua ſecundum ſymptomata morbi disponuntur, quae, uti falſam inducit notionem, ac ſi ſymptomata haec vera esſent morborum principia, hi vero nil niſi ſymptoma-
tum

(2) *Rat. Med. Part.* III. *pag.* 27. *ſeqq.*

tum congeries, ita etiam nullum habet in praxi uſum, imo Empiricorum errori ſavet, qui, ſi cuivis ſymptomati peculiare remedium oppoſuerint, rem a ſemet ipſis optime geſtam eſſe credunt. Mihi ſaltem parum profecto artificialis haec methodus naturae judiciis reſpondere videtur (3).

Sed, quo magis, quae de hiſce ſcripſimus, intelligantur, et doctrinae noſtrae vis eluceat, ſingula perlegamus, ac primo de febribus, dein de aliis morbis paucis videamus.

Magnam febrium gentem tres familiae conſtituunt; continuae, remittentes atque intermittentes. Hae autem nec indole ſibi ſemper reſpondent, nec ab invicem ita ſunt diſtinctae, ut non ſaepe ſimillimae reperiantur, imo idem prorſus morborum genus ſe eſſe declarent. Continuis namque an eandem medicinam feceris, ſive phlogiſtico maxime tempore germana pleuritide ac peripneumonia ſociis mortales exerceant, ſive ſub ardente aeſtivo ſole, bile regnante, invadant, ſive tandem, peſtilenti Conſtitutione imperante, petechiis multisque aliis diſſoluti ſanguinis indiciis notatae ſaeviant. Remittentes autem nonne aliis auxiliis curabis, ſi ſub catarrhalis benignae aut nervoſae aut gaſtricae febris forma prodeant, quam, ſi, frequenti in veras intermittentes eodem tempore regnantes converſione, ex legitimarum intermittentium familia ſe profiteantur, fidum antidotum poſtulantes. Ipſas denique intermittentes, ſive vernalium benignam indolem, ſive autumnalium pertinax ingenium habeant, ſive phlogoſeos, aut bilioſae putridaeve conditionis partici-pes,

(3) Exempli loco ſit Ordo IV. Cl. I. diviſionis Mackbridianae, ubi ſub communi dolorum titulo arthritis, rheumatismus, oſteocopus, capitis dolor, odontalgia, otalgia, pleurodyne, ventriculi dolor, colica, lithiaſis, ſive renum calculus, iſchuria, proctalgia reperiuntur. Cf. MACKBRIDE *Introd. in Theor. et Prax. Medic. P. I. pag.* 203. *ſeqq. Ed. Latinae.*

pes, ſive tandem ſimplices ac purae fuerint, num ubivis et omni tempore tentabis divino illo cortice. Profecto aut totus fallor, aut ſummum est ad hos morbos, nomine tenus ſimiles, natura vero diverſisſimos distinguendos et curandos, nostrae diatheſeos illius epidemicae doctrinae emolumentum. Quod variam intermittentium indolem ſpectat, ea, quae Cel. PARADISIUS vir facundia et arte inſignis quondam praedicaverit, mea facio. „ Non est, opi-
„ nor, aliud medicamentum in quod ſpecifici remedii nomen con-
„ veniat, ſi in corticem Peruvianum non convenit. Neque aliud est
„ morborum genus, quod communi et ſenſui et judicio aeque
„ pateat ac febrium intermittentium genus, et tamen vix aliud
„ invenies in medicina locum tanta disſenſionum contentione agi-
„ tatum. Hic enim alii ad uſum antidoti decurrunt quam cupi-
„ disſime, timide alii et pedetentim eo descendunt, illis in fe-
„ bre nil niſi morbum, his morbi quoque remedium ſpectantibus.
„ Horum rurſus alii, quae ſupprimi debeant, febres nulla prius
„ univerſali curatione egere putant, alii absque hac res aegri non
„ ſatis tutas habent. Ex his porro iterum alii, ſiquid moveri
„ debeat, mox ſimul ac ſemel moveri debere, alii, digeri prius
„ et commodae ac partitae excretioni idoneam reddi debere fe-
„ brilem materiam. Denique alii, praecipuam ſolius febris ra-
„ tionem habendam, alii ad ea quoque, quae praeter febrem corpori
„ ſubſunt mala, reſpiciendum esſe. Hic qui medicinam rationalem
„ calleat; quod in plurimis contentionibus deprehendere licet
„ ſine ambitione verum ſcrutantibus, idem in hac ipſa reperiet,
„ mediam inter contrarias ſententias vero proximam esſe: non
„ ſemper enim ſecuras neque beneficas esſe intermittentes, neque
„ tamen pertimeſcendas ubique: esſe non raro impuris corpori-
„ bus,

„ bus, ſub denſo coelo, craſſo victu pro remedio: neque ſemper „ periculo vacare, ſi in ipſo mox ingresſu ſine cauſa graviore „ ſupprimantur; esſe ubi ſola antidoti virtus materiem morbi, ſi „ quae ſubtilior ſubſit, penitus ſubigat; quam materiem copio- „ ſiorem, crasſioremque alias depelli prius corpore debere; jam, ſi „ febris ſisti debuerit, accidere, ubi cum magno aegri commodo „ febris ſperetur reditus, cujus ope morbi fomes, visceribus „ altius inſidens, extricetur eoque certiori antidoti efficaciae per- „ domanda objiciatur: denique ad Epidemicum febris ingenium „ reſpiciendum esſe, videndumque, ſi forte una cum ſebre alia cor- „ pus teneat affectio, haec ad febrem, an illa ad hanc referri „ debeat, an vero ab aliena prorſus cauſa pendeat. Quae qui „ obſervaverit, non ille, aut timido aut ſero uſu longe maximi, „ quo Deus mortales beavit remedii, quem ſervare potuerat „ aegrum febri jugulandum permiſerit: non ille quartanam ſalu- „ tarem, quo non aliud majus ad mutandum corpus inſtrumen- „ tum natura habet, fugaverit imprudens: non in hemitritaeo ſolam „ reſpexerit febrem, neglecta, quae intus ſubest, viscerum inflam- „ matione: non vernalis tertianae ſalutares in obnoxio diſtillatio- „ nibus corpore vires intempeſtive turbando, phthiſin induxerit „ immedicabilem, aut vano putridam intermittentem, a tecto ul- „ cere natam, tollendi molimine fatum aegro maturaverit" (4).

Nullum vero febrium genus est, quod his, quae vivimus, temporibus tantam celebritatem nactum est, quantam illud, quod nervoſum dicitur. Fraudulentum, ſi quid aliud, morbi genus ac mutabile, quod nunc malo dolo artiſici ſalſa benignitatis ſpecie im-

(4) *l. l. pag.* 48. *ſeqq.*

imponit, clam insidias struens, nunc magno impetu facto verae inflammatoriae febris imitatur vim atque candorem. In locis paludosis, sive autumnali tempore, saepe intermittentem adsciscit typum, alias, contagiosa facta, pestilentis Epidemiae more coeco furore saevit ac longe lateque populatur. Num igitur, quaecunque communi nomine nervosae vulgo adpellantur, affectiones, eodem vitio natae, iisdem remediis cedunt? Ad haec respondentem STOLLIUM audias. „ In curando hoc morbo, (febri videlicet ac-„ stiva paroxysmo hysterico stipata) qui peculiari ratione attinere „ ad nervos affectos videbatur, eos ego medendi canones secutus „ sum, quos ex innumeris iisque quammaxime abs se invicem „ diversis nervorum, ut appellant, morbis, aut lectione acceptis, „ aut ipsa praxi proprios in usus confeci. Ubicunque adverteram, „ morbum convulsivi quid habere, vim quidem irritabilem, quae „ fibris muscularibus inhaeret, quodam in praesentiarum excesu „ peccare existimabam eamque vividiorem, ac par est, esse, et „ stimulo obedire non suo, attamen ab eodem nimium irritabiles „ fibras justo potentius sollicitari et in motus agi aut violentio-„ res, aut alienos. Qui curationis initium a roborandis, aut so-„ piendis, aut stupefaciendis, aut relaxandis, ut varii varie loqui „ amant, nervis faciunt, et ad amatum sibi nervinum remedium „ recurrunt, nae ii quam longissime aberrant a morborum nervo-„ sorum practica cognitione! Hinc omnem operam ea in re con-„ sumendam arbitrabar, ut, quis *stimulus* fibras irritet, motuum-„ que anomalias causet, et quo positus loco is sit, quave ratio-„ ne auferendus investigarem. Exterminato enim seditionis auctore, „ quidquid antea turbarum nervos commoverat, totum suapte jam „ conquiescit, aut facili modo, atque ipso tempore demitigatur.

„ Non

„ Non unius generis ſtimulum vidi ſystematis nervei turbatorem:
„ varius is esſe ſolet, variaque in ſede locatus. Cum omnis fer-
„ me nervoſorum morborum curatio in auferendo hoc ſtimulo tam
„ vario conſiſtat, ratio patet cur *eadem* nervorum affectio in di-
„ verſis hominibus non *eandem* ſaepenumero ſanationem admittat,
„ ſed in aliis aliam et ſubinde oppoſitam, ut quae alteri proſit
„ evidenter, alterum laedat indubitato. Nempe affectus *apparenter*
„ *eosdem* non *eadem* ubique cauſa gignit. Pauca in hanc ſententiam
„ exempla recenſebo. Tribus abhinc annis puellam biennem ſa-
„ navi per vices graviter convulſam, atque extra convulſionum
„ tempora liventem facie, tusſiculoſam et cum ſono ſtrepente re-
„ ſpirantem. Cum minutulas et pinguedine obvolutas venulas,
„ qui vocabatur chirurgus phlebotomo asſequi haud posſet,
„ hirudinibus applicatis, ſanguinem eduximus. Convelli, livere
„ mox deſiit et paucos intra dies etiam tusſitare, et ſonore reſpi-
„ rare. En hic ſtimulum nervos irritantem ſanguinis nimiam re-
„ dundantiam intra thoracem praecipue, et humorum circumeun-
„ tium quemdam quaſi ob eorundem turgeſcentiam ſtrangulatum.
„ Ad aliam postea ſexennem puellam vocabar, inſultibus epilep-
„ ticis a biduo correptam aliquoties, et latere more pleuritico
„ dolentem. Misſus ſemel et iterato e brachio ſanguis corio phlo-
„ gistico tectus atque alia remedia pleuritidi dicata mox convul-
„ ſiones, dein et ipſum morbum ſuſtulerunt. En iterum, quis ſti-
„ mulus fuerit nervis applicatus, thoracis videlicet phlogoſis, en
„ remedium nervinum in ſimplici antiphlogistica methodo repertum.
„ Feminam novi hyſtericotaten, deſidioſam, opipare viventem,
„ et bonis ſuccis ſubmerſam. Quaecunque nervis opitulari dicun-
„ tur, incasſum et cum aegritudinis incremento adhibuit. In-

„ verſo conſilio venam ſecuit, et aliquid lautitiarum ſubtrahere ſibi „ auſa est, et iners pondus corporis movere. Tolerabilius inde „ habuit multo, atque melius habitura, ſi vitae rationem inire „ licuisſet, necesſitatibus naturae adcuratius respondentem. Ali- „ am biliofisſimam feminam, et ferme ictericia a pueris facie, „ vertiginoſam, morſu oris ventriculi, ructibus rancidis, globo „ hyſterico, leipothymiis multum vexatam, urinas mingentem crys- „ tallinas ſaepenumero, ſpasticasque, leviter artubus non raro „ convulſam, remedia ſalina, acescentia, alvum blande ducentia „ mirum juverunt. Cacochylia rancida, et ſyſtematis biliferi infarc- „ tus, et multorum aliorum ſymptomatum, et motuum praecipue „ irregularium cauſa fuit. Nervina hic fuerunt, quae ſolverunt, „ et inciderunt, immutarunt, et alvum alias moroſam expedive- „ runt. Nuperrime juvenem e Noſocomio demiſi, ab epilepſia, „ qua ab aliquot jam annis et hoc ultimo frequentius validiusque „ prehendebatur, liberatum. Multa incasſum tentata, cum ſtimuli „ et naturam et ſedem ignoraremus, donec eundem in ſyſtemate gas- „ trico repertum vomitoriis repetitis ejeceramus. Inde nervorum „ quies et nulla a longo jam tempore foedisſimi mali reverſio. ——

„ Spasmum ventriculi gravem in viro robusto, plenoque, „ et quotidie per multos annos a pastu recurrentem, ſtrictiori „ diaeta et abſtinentia a vino ac calefacientibus quibusvis et ſan- „ guinis misſione largiori incantamenti adinſtar conſopivi." ——

„ Pistoris historiam habeo, qui ſuperata maligna febre in „ hydropem incidit inter cutem. Variam ipſi medicinam feci, „ nec tamen in pejus ruere, nec frangi vires magis videban- „ tur. Appetiit, obambulavit et aegritudinem, rebellem licet, „ facile tulit. Scrotum et penis mirum tumebant tumore vago,

„ ſac-

„ ſaepe evanido et mox recurrente. Cum alvum fluidisſimam red-
„ derem, ex improviſo validisſimo tremore totus, et per aliquot
„ horas, concutitur, dein convellitur epileptice tandemque ſter-
„ toroſe, mentis impos, tardisſime reſpirans et ſublimi pulſu per
„ intervalla dire convulſus cubat, nec acerrimos ſtimulos ſentiens.
„ Maxillae tetanus. Raſo capiti cucupham ex emplastro veſicante
„ confectam nuchae ſimul et artubus alia veſicantia adplicui. Cum
„ loca veſicantibus eroſa multo ſero madere inceperant, convul-
„ ſiones deſiere et mens rediit, tandem et perfecta ſanitas. Hic
„ nervos ſtimulari ab acri ſero ad encephalum ex improviſo re-
„ currente exiſtimabam, quo veſicantibus evocato, motus epilep-
„ tici componebantur. Vim ergo nervinam hocce in caſu can-
„ tharides exerebant. Symptomata morborum *nervoſa* dicta non
„ tam facile nobis impoſuerunt, ut ſtatim ad eam remediorum clas-
„ ſem confugerimus, quam per eminentiam *nervinam* adpellant.
„ Vix ullum remedium est, quod non aliquando nobis *nervinum*
„ fuerit. Ablatis aut retuſis nervorum ſtimulis, morbus utpluri-
„ mum ſuapte ſilet, niſi is forſan inſtabilitatis excesſus fuerit
„ eaque inducta nervis conſuetudo, ut, remotis licet omnibus ſti-
„ mulantibus cauſis, nervoſa affectio nihilominus recurrat. Tunc
„ vero nimium irritabiles nervos cortex Peruvianus emendat et
„ ipſum tempus deſuefacit (5)." Ergo nec in naturae obſerva-
tione fundata est haec morborum nervoſi generis distinctio? Est
utique, licet immerito quaeque febris nervoſis ſymptomatibus ſti-
pata nervoſa appellari ſoleat. Haec enim haud raro bilioſis fe-
bribus ſe jungunt et aliis, ubi adverſae valetudinis cauſa longe ali-
bi

(5) *Rat. Med. P.* II. *pag.* 103. *ſeqq.*

ibi, quam in nervorum ſystemate est quaerenda. His verbis in *Pyretologia* ſua febrem nervoſam definivit SELLIUS: „ Magna atque praeternaturalis partium irritabilitas et ſenſibilitas. Febris „ inordinata nec continens, neque regulariter remittens. Symptomata nervoſa nec inter ſe, neque cauſis manifestis respondentia." Si itaque affecti ſystematis nervoſi indicia ab ipſo febris principio adſuerint, haec autem a nulla evidenti cauſa proficiscantur, eaque ſit nervorum mobilitas, ut vel a levisſimis cauſis maximae turbae fiant inque motus enormes erumpant, febris nervoſa vere dicitur.

Ex hiscc facile intelligitur, quanti et ad nervorum affectionis diagnoſin interſit, Epidemicam Conſtitutionem rite obſervasſe, qua duce non facile, biliosa febre regnante ſymptomatibus, nervoſis deceptus quis benignum morbi genus in periculoſum convertet, neque, quam uno emetico tuto ſanare potuisſet febrem, ſtimulantibus nervinis temere exacerbabit.

Neque etiam in veris febribus nervoſis haec Epidemicae diatheſis obſervatio tuto negligitur. Quod quidem docent illae nervoſae febres, quarum hiſtoriam conſcripſit Cel. HUFELANDUS.

A biennio in Germania ac vicinis regionibus ſtationem habuerat nervoſa Conſtitutio (6). Fuit autem autumno anni 1796 febris nervoſa Epidemicus prineeps, intercurrentes vero praecipui variolae ſpuriae, morbus hypochondriacus et hyſtericus, convulſiones, ipſaque chorea Sancti Viti, „ quae, inquit HUFELANDUS, in „ nostris regionibus alias vix obſervari ſolet," omnes ejusdem indolis participes. Haec febris, cujus naturam et ſymptomata et mor-

(6) *Waarnemingen omtrent de Zenuwkoortſen*, *pag.* 8.

morbi intercurrentes manifesto ſatis declarabant, vel ſimplex fuit, vel cum aliis morbis complicata. Complicationum quatuor vidit HUFELANDUS, rheumaticam ſive catarrhalem, gastricam, inflammatoriam et putridam, quibus ſingulis ſua methodo medendum. Et quamvis nervoſa febris natura ſua parum cum phlogistica conditione convenire videatur, ea tamen annuae conſtitutionis in ſtationariam vis fuit, ut tempestate ſicca, rigida, gelidaque, flante Borea, pulmones vera quandoque inflammatio corriperet, quae non topicas tantum, verum etiam univerſalis ſubinde ſanguinis detractiones postularet (7). Major etiam univerſalis ſanguinis misſionis fuit necesſitas, ubi corpus univerſalem conceperat inflammationem, quod iis accidit, quibus ſuppresſae fuerant ſolitae ſanguinis evacuationes, vel ſicubi in plethoricum corpus incidisſet contagio, nec non ab intempestivo irritantium medicaminum uſu factum esſe legimus. Neque id mirum videbitur illi, qui, naturae legum peritus noverit, licet amica ſit omnium in corpore conſpiratio, ſuam tamen quamque partem vitam vivere, neque omnibus aequam esſe principii vitalis efficaciam, aliis vividiorem, torpentem aliis. Atque hoc quoque tempore, quid interſit inter veros illos medicos philoſophos, naturae interpretes atque ministros et ſophistarum gentem, qui

(7) HUFELANDO aſſentitur FRANCKIUS in *Epit. de Cur. hom. morb. T.* I. *p.* 135. *ſq.* » Hucusque V. S. in nervoſa febre inſtituendae, quod in hac, ut tali numquam » conveniat non facta est mentio. A pauco interdum ſanguine detracto fatalis mox » virium inſequitur proſtratio cordisque vix non in totum ſufflaminatur potentia. » Sed ob ſolum putridae nomen innumeri errores a medentium vulgo hac in febre » commisſi fuerunt: cum, titulo magis hypothetico quam ratione et experientia ad- » ducti, V. S. in quavis nervoſa omnem abhorreant. Saepius certe, quam multi » contendant, ſub coelo etiam calidiori, inflammatoria conſtitutio cum nervoſae uni- » tur contagio et neglecta ſub ipſo morbi initio V. S. quamcunque inanem reddere » potest medelam. "

qui neglecto masculo illo naturam obſervandi ſtudio hujus ſe magiſtros jactant, palam factum est. Increbuit nimirum eo tempore Browniana ista medicina, cujus Auctor, cum omnes febres id generis asthenicas, id est ejusmodi, quae vim vitae labefactatam junctam habeant, esſe decrevisſet, venam incidere in tali virium debilitate ſummum nefas putabatur. Sedulo itaque opium et ſtimulantia quaevis aegris data ſunt, quo factum est, ut ſimplicisſimae febres malá arte in nervoſas converterentur, ex nervoſis vero febres putridae fierent. Postea mutata rerum facie, cum phlogistica magis fieri coepit morborum conſtitutio, ipſa naturae vox medicos in viam revocavit, calidorum remediorum noxis omnium jam in oculos incurrentibus, atque in typho ipſo et quibuscumque nervoſi generis affectibus ſuus fuit antiphlogisticae medicinae locus (8).

Est quoddam febrium genus (contagioſas vocant) quod non, aliarum more, ab evidenti quadam cauſa nascitur, ſuo tempore adolescit, moritur, prae caeteris praedispoſita corpora invadens, ſed uno impetu facto ſanisſimos quosque, quaſi Jovis igne tactos, proſternit, morbi veneno de uno homine in alium translato. De his autem febribus a longo jam tempore magnae fuere inter medicos controverſiae. Alii enim, omnes fere febres vulgares veneno contagioſo propagari ac cuivis veneno ſpecifica remedia opponi debere contendunt, alii vero plurimas ad aëris communes proprietates aliasve evidentes cauſas rèferendas cenſent, paucisſimas vero a contagii veneno pendere arbitrantur. Ex his iterum alii, plures, quae in cute prodeunt efflorescentias, non morbi vi emis-

(8) Hufeland *über die Kriegspest pag.* 23. *ſeq.*

emisſas, ſed prava medicorum cura, igne ſubdito, protruſas fuisſe, alii et has naturae, non artis esſe perhibent. Optime autem has lites compoſuit diligens Epidemiarum ſtudium. Namque inde novimus et his ſuas esſe aetates, ſuo tempore nasci, adolescere, ſenescere, mori, cuivis aetati ſuam esſe formam ſuosque mores. Scilicet varias in hoc vitae curriculo patiuntur metamorphoſes, ita ut adultum morbum totum mutatum ab illo videas, qui fuerat, cum primum oriretur, et omni venenati ingenii culpa liber cum esſet, nunc, contagioſa facta, ingentes per omnes ſtrages edat (9). Hanc rem illustrare liceat exemplo a ſporadicis morbis petito. Ponamus quemdam hominem vivere corpore debili, ſcorbutico, in putridam diatheſin prono, qui neque ſanus dici potest, nec tamen aegrotat, ſed in limine quaſi morbi ac ſanitatis poſitus est. A pravo victu ac aëre in ſcorbutum incidat. Jam in verum morbum erupit ſeminium, nec tamen periculoſum valde, aut venenatum. Accedat denique calida humida tempestas, jamque acuta ſpecie induto morbo, putrida febris orietur, quae omnem corporis compagem ſolvet et aegrum certo exitio dabit, dum in ſumma hac morbi vi venenum parabit corpus, aliis infestum, quo latius et latius ſerpente malo, epidemica febris fiet, putrida et contagioſa, ſaevisſima futura, ſi anni tempestas caeteraque faveant. Atque in multis epidemicis, licet natura ſua haud contagioſis, tres illae, quas memoravimus aetates notari posſunt. Dyſenteria ex communis circumfuſi aëris vitio nascitur, primo diarrhoeae, colicae et ſimiles affectiones epidemice regnant, morbi futuri needum formati ini-

(9) Hufeland *l. l. pag.* 100. *ſeqq.*

initia. Haec postea in veram dyſenteriam adolescunt, quae in aetatis vigore propagandi acquirit facultatem (10). Nec dispar est ſcarlatinae et ſebris flavae ratio. Quinetiam catarrhi exemplo res probari potest. Primo enim in atmosphaera nascitur catarrhalis conſtitutio, cujus vi hominum corpora ad ſuscipiendas catarrhales affectiones opportuna ſiunt. His jam epidemicis factis in ipſo corpore contagium evolvitur, quo catarrhus ad caeteros omnes permanat vel prospere valentes. Nec disſimilis et eorum morborum origo fuisſe videtur, qui κατ' ἐξοχὴν contagioſi dicuntur, nato nimirum a multarum rerum conſpirantium vi novo contagio novaque et incognita morbi contagioſi forma, quae, novae vegetationis inſtar, varias aetates agit, germinat, efflorescit; moritur. Ast veluti plantae aliae brevi pereunt, aliae annuae ſunt, perennes aliae, ita et novum hoc contagium vel brevis aevi est deſinitque, ubi deſiere, quibus natum fuit, conditionibus, uti in plerisque epidemicis fieri obſervamus, vel perennat, nullis externarum rerum mutationibus delendum, quales perennes et alios contagioſos videmus et imprimis variolas morbillosque et luem veneream (11).

De hac disciplinae nostrae parte, quae circa Epidemiarum contagioſi generis verſatur cognitionem, magna ſunt SYDENHAMI meri-

(10) Contagioſam esſe hujus morbi indolem negant STOLLIUS et alii, multi adſirmant; ab utrisque obſervationes et experimenta multa adferuntur. Mihi videntur et hi et illi vera ſcripſisſe. Scilicet ſi dyſenteria, ut SYDENHAMUS vidit, ipſa febris fuerit introverſa et visceribus incumbens, hujus naturae particeps erit, quae ſi putrida contagioſa, contagium quoque habebit dyſenteria, quo carebit, ſi febris fuerit inflammatoria legitima. Ipſe intestinorum catarrhus, germana dyſenteria STOLLIO dicta, quin aucta morbi potestate et ſaevitia contagioſus ſubinde fieri posſit, jure dubitari nequit.

(11) HUFELAND *l. l. pag.* 106.

rita, qui, cum in hisce obſervandis imprimis omne ſtudium collocaverit, earum pleniorem multo reliquit historiam, quam antea fuerat, docuitque, quo pacto et cum caeteris morbis et cum Epidemica Conſtitutione cohaereant. Quum enim ſuo tempore medici in eam lapſi esſent opinionem, validisſimis alexipharmacis contagii vim obtundi debere, aut ſtimulantibus diaphoreticis per cutim expelli venenum, quibus, ſi augeretur morbus, malignitatem accuſabant, ipſe, quoties hujus praejudicatae opinionis aegrotantes poenas luerent, ſentiens, vigente inflammatione et variolas et morbillos et pestem ipſam antiphlogisticis auxiliis tentavit, eventu conſilium probante. Ergo immortali huic viro acceptam referimus meliorem, quam habemus, contagioſae labis notitiam, atque hoc auctore HUXHAMUS, STOLLIUS aliique obſervando didicere, quid inter cujusque temporis ſebrilia exanthemata, quidque vel inter pestem ipſam interſit. Novimus inde, non alias his leges dixisſe naturam, quas caeteris quibusvis dixerit. Nam et ipſa exanthemata cum communis epidemicae, tum propriae uniuscujusque hominis conditionis rationem ſequuntur. Itaque, ſi varioloſum contagium corpus offendat plethoricum, robustum, aut inflammatoria fuerit atmosphaerae conſtitutio, inflammatoriam concitabit febrim, atque omnibus ad naturae modum ſe habentibus aptaque medicina facta magnus erit exſtantium pustularum laeteque rubentium proventus, ſuo tempore multam laudabilis puris copiam ſecernentium. Quodſi febris lenta nervoſa huic comes ſe junxerit, et tarda erit et mala varioloſa ſecretio, pustulae pallidae, crudae, depresſae in cute delitescent quaſi, vixque matureſcent, non ſano pure, ſed crudo ichore plenae. Si denique contagium in putridam inciderit diatheſin, pustularum habitus gangraenoſus erit, niger atque cruentus,

febris autem petechialis, haemorrhagiis, quas vocant pasſivis et maculis lividis veram indolem prodens; non aliter ac plantas in ſalubri aëre locoque fertili laete creſcentes videmus, pulcerrima florum prole ornatas, quae in arida ſiccaque terra ſub coelo frigido, ingrato languent et vix efflorescunt, ut, quae ejusdem ſunt ſpeciei, penitus diverſas crederes, ita et exanthematum pro varia corporum conditione coeloque vario disſimilis facies, eodem licet ſemine nata (12).

Neque aliunde peti debet epidemicorum exanthematum ſaevitiae et malignitatis ratio, quam ex pravo hoc popularis morbi conſortio. Quodcunque enim, quin ipſum pestis contagium ejusdem ſemper benignae est naturae, nec mortiferae. Hoc etenim, ſi ſporadice tantum unum alterumve hominem inſiciat, mite reperiri ſolet et facile expellendum, ſi vero a favente epidemico vitio foveatur ac propagetur, anomala, ſaepe multaque prava adſciscit ſymptomata aegris perniciem inferentia, quo epidemico vitio idoneis auxiliis ſublato et anomalia iſta et omne a morbo diſcrimen tollitur; quapropter jure ſuo STOLLIUS in variolis morbillisque anomalis ſolam febrem epidemicam curandam esſe monuit. „ Nempe videram, inquit, et leviculum vulnus et non magni momenti ulcus

„ mo

(12) Epidemici ſtudii neglectus CULLENUM in errorem duxisſe videtur, de quo in practicis ſuis lectionibus haec monere ſolebat acutisſimus PARADISIUS. » Quoad variolarum decurſum errare videtur CULLENUS, qui in Noſologia duas tantum ſingulis morbi ſcenis dies adſignavit, cum febris varioloſa ſimplicisſimo et perfectisſimo » ſuo decurſu ſpatio duodecim dierum abſolvitur, intra quos peragitur febris, inflammatio, ſuppuratio, exſiccatio, ita ut tres dies unicuique hujus procesſus parti adſignari debeant. Talis autem, qualem CULLENUS memorat decurſus minime naturalis » est et tunc praecipue obſervatur, quando regnans Conſtitutio Epidemica intermittens tertianaria characterem ſuum morbo varioloſo imprimit, id quod nec ignorabat SYDENHAMUS.

„ mores pravos inducere atque ob febris popularis societatem be„ nignae indolis prorsus oblivisci, neque alia ratione res posse in „ integrum restitui, nisi eo consortio diremto et epidemico vitio „ sublato, quidni eandem quoque vim variolosis ulcusculis Epi„ demia intentet? Quidni intentatam arceamus eodem modo, et illa„ tam propulsemus? Quae animo conceperam effeci, et nulla aut „ vix ulla variolarum ipsarum aut morbillorum ratione habita, totus „ quantus in eo eram, ut in febrem popularem inquirerem, si „ complicatiónem ejusdem ex signis superius recensitis conjectarem „ eique mederer non per ambages, sed e directo. Hinc phleboto„ miarum, purgationum, vomitoriorum, vesicantium, antiphlogis„ ticorum, antisepticorum, opiatorum &c. is mihi usus in variolis „ et morbillis fuit, quem ipse epidemici morbi genius eo in ho„ mine sibi poposcisset, si nullae aut variolae, aut morbilli fuis„ sent complicati (13).

Liquet inde, quid de celebri illa a SYDENHAMI imprimis temporibus mota quaestione tenendum, utrum videlicet calidum an frigidum regimen in variolis prosit. „ Interdum enim, ut HUX„ HAMI verbis utar, SYDENHAMI, interdum MORTONI convenire pot„ est methodus. Breviter quilibet casus singularis singularem re„ quirit methodum atque medici attenti est, ut ejus judicium justa „ harum rerum dispositione declaret."

Nec minor doctrinae nostrae in inflammationum diagnosi et cura utilitas. Pleuritides reputemus. Quanta morborum diversitas communi hoc nomine dicta. Protopathicum thoracis vitium a sympathico ex gastrica labe quam differt, et ipsa primaria pleurae pul-

(13) *Rat. Med. P.* II. *pag.* 149 *seq.*

pulmonumve affectio, quot varias caufas habere potest. Ecquid fpasticum nervofi generis vitium cum vera vaforum phlogofi, aut catarrhalis ftimulus cum utrisque commune habet? Nec tamen femper in morbi principio facilis tam varii mali diftinctio. Saepe enim pleuritis ex gastrico fomite fuborta inflammatorium imitatur vigorem, faepe quam ex dejecta virium conditione a nervea caufa natam augurares, fummam inflammationem junctam habet, fanguinis mole vim vitae opprimente, in faevisfimam inflammatoriam febrem eruptura, quam primum vafa, onere venaefectione adlevato, omnem vim fuam exferere poterunt (14). Incipientis morbi natura ex perfpecto epidemico vitio haud raro intelligi potest, quam rite cognovisfe, quanti artificis interfit, ille noverit, qui ratione et experientia opportunam fanguinis detractionem fummum esfe in vera inflammatoria pleuritide curanda remedium didicerit, cujus fuo tempore neglecti fero medicum poeniteret, quo vero intempeftive adhibito, gastrici, aut nervofi generis vitium certo augebitur, augebitur etiam rheumaticum, nifi phlogiftica conditio accesferit, folo cantharidum ftimulo expellendum (15). Neque certam femper esfe encephali phlogofeos diagnofin docet, quae nec a biliofa phrenitide abest delirii ferocia, docent et alia fymptomata fimilia. Quicunque vero et communis et propriae conftitutionis habuerit rationem, et anni tempus cum morbis ipfis comparaverit, is profecto haud imparatus ad artem accesfurus videtur. Legat, qui dubitat, ipfam haemoptoën fub

ae-

(14) Hujus rei egregium exemplum refert SYDENHAM *Opp.* I. *pag.* 371.

(15) Cf. BURSERIUS *in Inftit. Med. Pract. V.* IV. *c.* IV. §. 130. *pag.* 129. et HUXHAM *Opp. V.* II. *pag.* 189. *Ed.* REICHEL. Et opiatorum fummus est in pleuritide ufus, imprimis, fi a ftimulo quodam fpecifico oriatur, cujus originis illa fuisfe videtur, quam defcripfit SARCONE in Hiftoria morborum qui Neapoli grasfati funt, *Tom.* I. *pag.* 151. *feqq.*

aestivae febris regno, sanguine ex pulmonibus prosiliente, a sagacissimo STOLLIO prudenti audacia emetico quam felicissime sanatam. „ Laetus recordor, inquit, juvenis quondam Turcae, nunc „ sacris Christianis initiati, qui mense Julio anni 1776 ex febre „ biliosa et largo sanguinis sputo decubuit. Cum homini fluxum „ sanguinis ex pulmonibus actu patienti emeticum praescriberem, „ idque in praesentiarum facto opus esse adsererem, qui mecum „ fuerant, me quasi aliena loquentem intuebantur et quis rerum „ foret exitus clam avidentissime exspectabant, haud clementius „ forte actum iri cum aegro rati, quam ut purpuream una cum „ bile animam evomat. Sed en, evomuit aeger ἀμοργὴν multam „ et sanguinis ne stria comparuit, jugulata febre. Vulgatior post„ modum observatio admiratione carebat" (16).

Inter Epidemias magnam malignitatis famam acquisivit dysenteria, de cujus natura et sanandi ratione tam parum inter medicos convenit, ut tot fere contrarias reperias sententias, quot scriptores de hoc morbo pervolveris; tantum vero remediorum dissimilium prorsus numerum, quorum quodque splendido antidysenterici specifici nomine ab inventore fuit celebratum, ut auxiliorum non inopia, verum abundantia artificem de consilio capiendo incertum faciat, quod nisi ex epidemico studio neglecto explicari nequit, sin nullam Auctoribus gravissimis fidem habendam esse statuamus. Biliosam dysenteriam evacuanti medicina optime sanaveris, inflammatoriam antiphlogistica, rheumaticam opio et leni diaphoresi. Parum accuratam igitur hujus morbi notionem habere videntur, qui, cum ejus naturam in tenesmodeo illo cruento, aut mucoso al-

(16) *Rat. Med. P.* II. *c.* X. *pag.* 78. *seq.*

alvi fluxu ponant, hunc quam citisfime fiftendum esfe opinantur, quod, fi validisfimis adftringentibus fedulo perfecerint, fe morbum ipfum fanasfe exiftimant; ast moenibus inclufus hostis eo certius parabit exitium. Nec tamen dyfenteriae vaga notio. Etenim germanam hanc intestinorum catarrhum dixit STOLLIUS. Utriusque affectionis analogiam docuit anni temporis obfervatio, quo pari pasfu incedebant ac mutata faepius facie altera alteram referebat, vel et hujus et illius conjunctas habebant notas (17). Neque etiam aliis auxiliis dyfenteriae expellebantur, quam iis quae catarrhali febri esfent idonea, quae ipfa, cum non femper fecum confentiat, fed nunc phlogisticam, nunc nervofam, aut gastricam complicationem habeat, pro hisce differat oportet curandi methodus. Ab his complicationibus, praefertim fi et mala curatio accedat, frequens morbi discrimen repetendum est, qui natura fua benignus, nec pertimefcendus. In fimplici morbo prae aliis opium juvisfe legimus, quo ftimulus catarrhalis obtundi ac vaforum ftrictura fpastica, omni vitali motu fuffocato, intestinorum mortem provocatura, folvi videtur. Haec qui tenuerit, neque vernalem dyfenteriam, inflammatorio catarrho intestina petente, opio in gangraenam mutatam lugebit, nec biliofa materie autumni tempore, fub Epidemici aeftivi protracto imperio, neglecta, male fano adftringentium ufu fpuriam eamque pesfimam inducet phlogofin. Confirmant variam morbi indolem obfervationes, quas collegit Doct. ONTYD, in egregia fua Disfertatione Inaugurali *de morte et varia moriendi ratione*, *pag.* 212. „ Dyfenteria, quae Anno 1762 in Anglia epidemice „ fuit grasfata, erat biliofo-inflammatoria, illa tamen, fi fatis „ ci-

(17) STOLL *Rat. Med. P.* III. *pag.* 187.

„ cito justa adhiberetur medela, paucis fuit funesta: dysenteria „ biliosa, quae Anno 1776 Viennae regnavit, nisi cito caveretur, „ transitum in putridam amabat: hujus loci videtur quoque esse „ illa dysenteria, quae Anno 1783 in Gelria aliisque hujus Rei- „ publicae provinciis saeviit, dum et ista ad putridam diathesin „ vergebat: dysenteria, quae Anno 1777 in Austria grassata „ fuit, demum erat inflammatoria putrida, illa multis praecipue „ debilibus et cachecticis fuit lethalis, quum neque antiphlogi- „ stica cura, neque emeto - catharsis, neque involventia malum „ sanare, aut temperare valerent" (18).

Ac STOLLIUM si audias, ne ipsa quidem convulsiva tussis idem semper morbus haberi poterit, sed modificatio tantum et lusus quidam, quae eandem cum epidemica aegritudine petit curationem, cum eadem et causae morbificae indoles et sedes (19). Hinc

(18) Cff. ibi citati Auctores. Quantum autem pendeat a vulgari vitio hujus morbi natura, et aliorum, et summi ZIMMERMANNI observatio docuit, qui in aureo illo ac vere Hippocratico libro de *Dysenteria*, quae Ao. 1765 inter Helvetos vulgaris fuit, initio *c.* III. haec habet: » SYDENHAM's bekannte Anmerkung, von dem Zusammen- » hang der Epidemieën eines Jahres, befand sich in diesem Jahre vollkommen wahr. » Auf eine erstaunende Menge Faulfieber folgte die mit einem Faulfieber begleitete » Ruhr." Quam similitudinem, comparatis utriusque morbi phaenomenis, egregie probavit. Videtur autem haec dysenteria fuisse indolis biliosae putridae. De varia ipsius natura variis temporibus eandem, quam STOLLIUS profitetur sententiam. » Ich » bin überzeuget, dasf man diese Krankheit bald als ein Entzundungsfieber, bald als » ein gallichtes oder faullendes Fieber, bald als ein aus Entzundung und Fäulnis zu- » sammengesetztes Fieber, bald als ein bösartiges Fieber, und bald als ein gallichtes » Fieber mit blossen Zufällen von Bosartigkeit behandeln musf." *l. l. c.* X. *p.* 326.

(19) *l. l. P.* II. *p.* 122. *seq.* cff. ipsius *Praelectiones in diversos morbos chronicos*, *Vol.* I. *pag.* 290. *seqq.* » Satis quidem superque, ita Cel. LENTIN, tussis con- » vulsivae naturam cognitam habere nonnulli contendunt; verumenimvero sciant hoc » saltem, non quamque eandem esse, nec eadem semper remedia sufficere. Constitutio » enim generalis et tempestatum et anni temporum diversa qualitate nata particularem » morbi constitutionem semper quadantenus mutat." *De aëre et vitae genere Clausthaliensium pag.* 58.

Hinc vere venaefectio, aeſtate emeticum, autumno, praemiſſo emetico, cortex Peruvianus tusſin convulſivam ſanabit, quae, ſi ob conſuetudinem per vices redeat, deſueſacient ſystema nerveum ab irregulari hoc motu opiata, moſchus, caſtoreum, hyoſcyamus, cicuta, nicotiana, camphora, gummi ferulacea et cortex Peruvianus. Et quamvis tusſes convulſivae pleraeque ſint ſtomachicae (20), nihilominus nullam tusſin esſe, cujuscunque illa originis fuerit, contendit STOLLIUS, quae in corpore plurimum irritabili, quale infantum, puerorum et mollicularum femellarum esſe ſolet, non posſet esſe aliquando convulſiva, atque eapropter tam varias ſibique oppoſitas methodos therapeuticas huic morbo auſpicato admoveri. A quo, licet plerique disſentiant Auctores, negari tamen nequit, multiplicem pati posſe hanc tusſem complicationem. Cel. HUXHAMUS exinde, quod et febres intermittentes et convulſiva tusſis eodem tempore invadere ſoleant, atque par in utramque conveniat medicina, et communem habeant periodicam accesſionem, ad utriusque morbi concluſit analogiam. „ Nobile namque, ſic habet, *Opp. V.* I. *pag.* 77. (Post commen-
„ datum in hac tusſi Peruvianum corticem) hoc Indiae pharmacum
„ (cortex Peruvianus ſcilicet) non ſolum lentos attenuat humores,
„ ſed et totum ſystema ſibrarum confirmat atque ſic utraque facul-
„ tate agendo febres intermittentes discutit. Atqui periodica hujus
„ pertusſis accesſio haud minus certa ſaepe, quam vel intermitten-
„ tium

(20) Ita et HUXHAMUS: „ Tusſis, inquit, partim ſaltem est a ſtomacho, ut mo-
„ nuit olim WALDSCHMIDT, nam vix unquam cesſat tusſis convulſivae paroxysmus,
„ antequam irritans pituita tenax vomitu rejicitur. imo tanta ſaepe est illuviei co-
„ pia, ut vomitionem terve quaterve proritare necesſe ſit." *Opp. V.* I. *pag.* 76.
Ed. Lond. Tusſin convulſivam a vitio primarum viarum ortam obſervavit etiam LENTIN *l. l. ibidem.*

„ tium paroxysmus non multum abesſe ab earum indole hunc mor-
„ bum indicat: hoc magis etiam probabile videtur, quod uterque
„ morbus eadem plerumque tempeſtate grasſatur, ab eadem prope
„ cauſa pendet et iisdem fere curatur remediis." HUFELANDUS quoque hanc HUXHAMI ſententiam tueri videtur, quae, uti vero haud disſimilis est, ita ad analogiam morborum inveniendam, quid a doctrina epidemica exſpectari posſit egregie docet (21).

Ut hanc de doctrinae uſu ad morborum cognitionem et curam quaestionem abſolvam, pauca quaedam de puerperarum febre hisce adjecisſe liceat, de cujus cauſis et curatione tanta, BURSERIO teste, inter Auctores invenitur disſenſio, tanta opinionum varietas, ut cui tirones fidem habeant, quem ſequantur, quem ut ducem ſibi proponant, decerni minime posſit (22). Nimirum puerperae interdum febre quadam corripi ſolent et magnum inde periculum ſubire, quam, ſuis ſymptomatibus notatam, alii novam esſe perhibent, veteribus incognitam, alii vero ipſis cognitam quidem, non tamen probe diſtinctam. Novam non esſe, nec veteribus praeterviſam facile eruitur ex antiquisſimorum ſcriptorum monumentis, ut rectisſime animadvertunt SWIETENIUS, WHITEUS, aliique etiam inter eos ipſos, qui novum ipſi nomen dederunt et peculiariter de ea edisſerunt. Sed nullibi luculentius adparere ſcripſit BURSERIUS, hanc ipſisſimam febrem notam antiquitus fuisſe atque accuratisſime deſcriptam, quam in primo et tertio Epidemiorum HIPPOCRATIS, ubi octo hiſtoriae puerperarum ea laborantium referuntur, ita ſimiles illis, quas poſteri ſcriptores ediderunt, ut ovum ovo ſimilius non ſit. Neque et diſtinctam ſibique ſem-

(21) Cf. K. SPRENGEL *Pathol.* III. §. 204. *pag.* 238.
(22) *l. l. V.* I. §. 319. *pag.* 521.

ſemper ſimilem febris ſpeciem haberi posſe, probavit idem Auctor, comparatis invicem ſcriptorum opinionibus et obſervationibus ad ſua usque tempora editis. Inde crevit obſervationum ſylva; nec tamen hodie inter omnes de hac febre convenit. Plerique vero recentiores ſtatuunt, eam plerumque a peritonaei inflammatione ſpuria, quam asthenicam vocant, esſe repetendam, cui ſaepe et alia imi ventris viſcerum phlogoſis, et metritis ſe jungere ſolent, quamque ſymptomatibus gastricis et nervoſis plerumque comitari notavit SPRENGELIUS (23). Verior tamen mihi videtur Cel. BURSERII ſententia, febrem puerperarum non proprium esſe morbi genus, ſed pro varia rerum conditione vel inflammatoriae, vel gastricae, vel nervoſae, vel putridae indolis. Nam SPRENGELIUS ipſe fatetur, hanc, quam neoterici puerperarum febrem vocant, haud ita puerperio esſe propriam, quin interdum feminas caelibes corripiat, a ſuppresſa menſtrua evacuatione inducta, imo viros abdominis paracenteſin pasſos exerceat. Ac jure dubitari potest, num haec peritonaei aut cujuscunque viſceris inflammationis indicia morbi vim, an cauſam testentur, eoque majore, quoniam ſpuriae illae inflammationes nec a veris bilioſis febribus, aut nervoſis, aut putridis denique abesſe prorſus obſervantur (24). Praeterea et mor-

(23) *Pathol.* II. §. 341. *pag.* 407. Cl. FRORIEP hanc febrem ut plurimum typhoideam esſe ſcripſit, uteri inflammationi in gangraenam proclivi junctam, ejus tamen naturam nondum rite intellectam esſe, *Handbuch der Geburtshülfe T.* I. §. 311. *pag.* 256. Doct. FIEGEL a plethora lactea ſive chyloſa morbum originem trahere opinatur, quae niſi lactis ſecretione tolli non potest: perfrigerio aliisve cauſis membranas ſeroſas inflammari, ac lympham effundere, vel pleuritide, vel peritonitide, vel nephritide pro varia inflammationis ſede ſuborta; hanc autem his characteriſticis ſignis distingui: 1. Febre ſocia, quae facile nervoſam indolem induit, 2. lymphatici humoris ſecretione, 3. majori ad lymphaticas quam ſanguineas evacuationes proclivitate. Vid. HORN's *Archiv.* 1813. *Januar bis December pag.* 469. *ſeqq.*

(24) STOLL *Rat. Med. P.* II. *pag.* 49.

morbi hiſtoria incerti quid habet atque indeſiniti, unde vel augurari licet, non naturalem eſſe febris ſpeciem. Non alia enim pathognomica ſymptomata recenſentur, quam continuus acutus abdominis dolor ejusque tenſio (25), quae, etiamſi perpetua eſſent, an quidem ejusmodi ſint, ut morbus ſpecifici nomine dignus habeatur, dijudicent alii. Quid quod Cl. FRORIEP post recenſita quam plurima, quae vulgo enumerantur ſymptomata, conſtans maxime et characteristicum horum omnium inconſtantiam eſſe adſirmat (26). Ergo hanc minime eſſe aequabilem, verum variam ſingularum et communium rerum affectionem ſequi duxerim. Testis est STOLLIUS, qui ſub biliosa diatheſi puerperarum febres communi methodo quam felicisſime curavit. Neque parum referre quis dicat, an peculiaris habeatur haec febris, an ſecus, peculiaris enim ſi fuerit, peculiarem medelam jure ſuo postulabit, quae, ſi hanc febrem nervoſam asthenicam credamus, ex remediis acri ac volatili ſtimulo praeditis comparanda est, in nervorum debilitate egregiis et utilisſimis, in inflammatorio vero aut gastrico vitio ſumme noxiis, gangraenam, aut exanthema miliare artificiale aliave ſinistra ſymptomata invecturis. Atque exinde forſan malignitatis illud toties in hunc morbum delatum crimen. In ea igitur verſor opinione, ut alio tempore aliaque corporis conditione aliam medicinam idoneam eſſe credam, et venam ſecandam eſſe putem, ubi acri urente gelu et flante Borea ſanguis imperat, ſi gastricae labis indicia fuerint, emeſin movendam eſſe, ſi putrida antiſepticis auxiliis utendum, nervina denique et antiſpastica danda, ubi nervoſa praevaluerit diatheſis, aut mobilem et irritabilem feminam haec febris

(25) SPRENGEL *l. l.* §. 337. *pag.* 394. (26) *l. l.* §. 309.

bris tenuerit. Haud negamus tamen, et peritonaeum, et uterum, et abdominis viſcera, peracto puerperii tempore, imbecilliora prae aliis partibus cuicumque vi noxiae patere, crebriusque aegrotare, aut mutari posſe puerperio morborum faciem naturamve, id ſolum egimus, ut nec horum, quas puerperarum dicunt, febrium rationem certam nobis videri, aut ab iis vim pati legem epidemicam probabili argumentatione oſtenderemus.

Equidem ſpecificam, ut ita dicam, nonnullorum medicinam, qui distinguendi et dividendi amori indulgentes nimium, aut empiricorum ratione ducti, ubivis peculiaria morborum genera, nescio quibus ſpecificis auxiliis expellenda, ſeſe reperisſe existimant, neque ullam esſe morborum cognationem vel ſuspicantur, in liberalem illam ac philoſophicam medendi ſcientiam parum convenire autumo. Quae, niſi analogismo veraque inductione nitatur, quos quaeſo fructus ex priorum aetatum laboribus perciperemus. Magnam fortasſe ex incompoſitis his et ſparſis rerum notitiis, ſi cui memoria tenax contigerit, comparare posſet doctrinae copiam, ast hercle parum utilis et elegantis minime.

Videamus nunc, utrum et ad prognosticam artem utilis ſit epidemicae rei notitia (27).

Inter chronicos morbos phthiſeos terribile nomen. Quae cum, ſi nondum adulta fuerit, haud raro feliciter ſanetur, quam primum vero radices egerit, immedicabilis haberi debeat, adparet, ſummi momenti rem esſe malum in principio jam cognovisſe. Verum haec vox varios imo contrarios affectus deſignat, vel pulmonum vitam auctam nimis, vel torpidam junctam habentes. Duas tantum phthiſe-

(27) Ex iis, quae ſupra de pleuritide diximus, jam innotuit doctrinae utilitas ad morborum ſientium, quos dicunt, diagnoſin.

ſcos ſpecies memorabimus, haemoptoicam illam, phlogisticae diathesi junctam et pituitoſam, quae peripneumoniae nothae ſuboles esſe ſolet. In utraque patiuntur ſpirandi inſtrumenta, ast quam varie. Haec enim in phlegmaticum temperamentum et ſenilem aetatem cadit; illa ſanguineae temperiei atque aetati juvenili propria, quaeque alteram augebit Epidemica Conſtitutio, ſanabit alteram. Igitur et hic quid boni ſperandum quidve mali metuendum ſit disces a Conſtitutione. Etenim aëris gravis, elastici, puri, quem jure phlogisticum adpellaveris, virtus tonica, roborans ſummum est, quod natura habeat, phthiſicis pituitoſis remedium, quo adſtringitur laxus pulmonum habitus, et morboſa humoris pituitoſi aut lymphatici ſecretio, vires exhauriens, ad naturae modum reducitur. Humidi vero coeli vis laxans ac debilitans incitatam illam, quae inflammatoriam phthiſin comitatur, pulmonum actionem moderatur, unde hac rerum conditione laeta nec vana ſemper ſpes affulget. Quodſi autem et Conſtitutio et morbus junctis viribus conſpiraverint, infaustum augurium dabunt quaevis et inſtabit fatum. Luculenti exemplo id docet ſequens STOLLII obſervatio. „ Pictorem ſecui a tribus annis pectore oppresſum, tusſiculoſum et ingentem quotidie, noctu potisſimum, puris materiem extusſitantem. Hyeme pejus, aeſtate melius habuit, etſi nunquam a morbo liber. Menſe Novembri anni 1779 ad nos venit, misſus ab ipſius ordinario medico tanquam brevi moriturus ex phthiſi conſummata. Brachia extenuata; ſputa puriformia et purulenta copioſa; pulſus fortis, plenus et durus; febricula veſpertina. Venaeſectiones aliquot, ſed parcae factae: ſanguis ſemper pleuriticus. Emollientia tepida data ſunt. Die 13. Januarii 1780, cum ab initio ejus menſis fri-

„ gus ſiccum et pleuritide crebra infame haberemus, nobis non-
„ dum id opinantibus, moritur. Pulmo uterque perquam ponde-
„ roſus et durus fuit, atque ſummopere inflammatus. Adhaere-
„ bant pleurae, praecipue in latere ſiniſtro; in dextro, ubi
„ etiam major et durior inflammatio fuit, aliquod erat interſtitium
„ cavum, uncias quinque aquae flaveſcentis continens. Pulmo
„ uterque antiquo crasſoque coriaceo ſacco vaſculoſo obductus
„ erat. Ejus coriaceae materiae hinc inde portiones reperiebantur
„ in ipſa pulmonum ſubſtantia, ſero nempe phlogistico non trans-
„ ſudante in cavum thoracis, ſed forte intra celluloſam pulmo-
„ num, vel cellulas bronchiales. Pulmo dexter hinc inde exi-
„ guos abſcesſulos continuit, puris, cum viveret, ſcaturigines.
„ In ſuprema utriusque pulmonis parte vidimus hinc inde calca-
„ reum quid et lapidoſum. En phthiſin diuturnam cum chronica
„ pulmonum inflammatione! Hanc enim dudum adfuisſe aegri
„ ſymptomata diuturna testabantur. Periit, cum apud nos bene
„ habere et ſibi et nobis videretur et febricula exigua" (28).

In hydrope etiam futurorum ſcientia plerumque ab Epidemia regnante petenda est. Hydropicis enim magnum a phlogistica diatheſi levamen. Falleretur tamen, qui crederet, hunc ſemper ab atonia et corporis laxitate proficiſci ac ſemper acri ſcillitico aut quovis alio ſtimulo fugari debere. Est et calidus hydrops, a plethora aut inflammatione oriundus, vaſis urgenti ſanguini cedentibus ſeroque per diapedeſin effuſo, qui, uti antiphlogisticis armis oppugnatur fortuna prospera, ita validis illis ſtimulantibus irritatus aegrum in diſcrimen ſummum adducit (29).

Quan-

(28) *Rat. Med. P.* IV. *pag.* 38. *ſeq.*
(29) Cf. ONTYD *l. l. pag.* 526 et VOGEL *Praelect. Acad.* §. 656. *pag.* 555.

Quantum ad hanc futurorum praesensionem conferat crisium diligens observatio, norunt omnes, apud quos HIPPOCRATIS et Veterum quid valeat auctoritas. Hasce autem ab anni temporibus pendere, ipse monuit hujus doctrinae Auctor, in constantibus temporibus, si tempestive tempestiva reddantur, constantes et judicatu faciles fore morbos, in inconstantibus vero inconstantes et difficiles judicatu, affirmans (30). Hinc fit, ut in nostris regionibus, subitis magnisque aëris vicissitudinibus obnoxiis, non ea semper sit crisium fides et constantia, quam sub miti Graeciae coelo observaverat HIPPOCRATES. Neque tamen has negligere, aut temere perturbare nobis licet. Etenim anni temporum aestimationem ad prognosin ab intellecta evacuationum significatione petendam multum conferre, probant, quae RICHTERUS docuit, quibusdam locis et temporibus febrium crises per alvum, aliis per cutem fieri, has autem per alvum fieri, ubi febris venosa gastrica endemica aut epidemica fuerit (31). Et hic maxime elucet doctrinae utilitas. Vere enim, quo tempore ad cutem ferri humores supra vidimus, quod nec HIPPOCRATEM latuit, hac via salutares crises jure exspectabimus. Autumnalis vero si praevaleat κατάστασις, humoribus ad intestina versis, suborta in hisce suo tempore critica molimina felix augurium dabunt. Haec itaque non imprudenti consilio turbabimus, verum, ministerio fido, naturae, si oporteat, in opere succurremus.

Ex iis, quae hucusque exposuimus, haud dubiam esse adparet studii epidemici utilitatem ad morbos rite cognoscendos atque rationalem ipsis medicinam faciendam. Ac de ejus usu therapeutico in

(30) *Sect.* III. *Aph.* 8.
(31) *l. l. V.* I. *pag.* 305. *seq.*

in acutis quidem inter omnes convenit, in chronicis vero res a multis in dubium vocatur, cum quos lenta valetudo exercet homines, plerumque ab epidemica labe immunes reperiantur. Sed nec ubique vera est haec enunciatio, neque ad omnes Epidemias aeque patet, utpote quam magis ad illas Epidemias, quae contagium habent, quam ad annuas aut ſtationarias non contagioſas (et ne de illis quidem omni exceptione major est) pertinere cenſeo. Nam licet ſubitum contagii impetum cludat ſaepius ſenſus tardior, continuam tamen aëris ac caeterarum communium rerum vim, quin percipiat, dubitari nequit. Testatur STOLLIUS et ſcorbuticos et ictericos et hydropicos inflammatoriae diatheſis potestatem expertos esſe, atque in his ſummam fuisſe refrigerantis, quod dicitur, regiminis utilitatem. Etiam ſyphillitico morbo communem febrem phlogisticam ſeſe jungentem vidit, cui ſola mitisſima ex hydrargyro remedia profuere et regimen antiphlogisticum, nocuere vero acriora quaevis mercurialia, quin nec ipſum calomelas tuto dari potuit. Quapropter, ſi quando in graviorem Epidemiam ſporadicum hoc vitium inciderit, medico artifici popularem temperiem ſedulo notandam esſe jubet (32). Nec colica illa, quam plumbi malum venenum infert, popularis vitii expers est, ast cum aestiva ſubinde aut vernali aliave febre complicatur, pro complicati vitii natura alia et alia ratione pellenda. Quodſi inflammatorii quid ſubesſet a Conſtitutione, opium hujus colicae fidisſimum antidotum minus tutam medicinam fuisſe accipimus et intelligimus facile (33). Cum hisce STOLLII obſervationibus Huxhamianae conſentiunt, quibus et nautas ſcorbuticos regnantibus inflamma-

(32) *l. l. P.* VII. *pag.* 24.
(33) STOLL *l. l. P.* II. *pag.* 194. *ſeq.*

matoriis morbis correptos fuisse ipsisque peripneumonicis ob pravam humorum crasin petechias fuisse subortas docemur; illos vero variolis decubuisse a scorbutica lue putridis factis et summe exitialibus (34). Unde adparet, chronicis malis affectos non semper ab epidemica labe tutos esse eamque persequi debere, quicunque ipsis mederi cupiat.

Ast si et morbi sibi habeantur dissimiles et incerta ac mutabilis eorum medicina, nonne magna inde notionum confusio in medendi disciplina nascitur? Ita videri utique posset. Sed an quidem naturalem dicere licet hanc symptomaticam morborum divisionem, an rei veritati respondentem (35). Num singula quaeque symptomata, neglecto, quo cum morbo ejusque causa cohaereant, vinculo, tot genera morborum diceres, num crederes ad haec symptomata curam accommodandam esse, an potius causam tollendam esse existimares. Equidem censeo, non certiorem aliam esse in praxi medica ducem, quam universalem illam therapeuticen disciplinam, quae, quam arcto cum epidemico hoc studio nectatur vinculo, supra ostendimus. Atque huic epidemicae naturae legi mira subest simplicitas, ita ut, quae confusa videbantur omnia, hac intellecta, divino quodam ordine juncta adpareant. Communem phlogosin vides, sanguineis imprimis infestam, in eam, quam quisque imbecilliorem mobilioremve habuerit partem, impetu facto, nunc caput petentem vel pectus, vel abdomen, nunc in cutem erumpentem, aut vexantem artus, phrenitidis, catarrhi, peripneumoniae, colicae, enteritidis, dysenteriae, erysipelatis aut rheumatismi specie indutam, eodem genere natam, communi auxilio

(34) *Observ. V.* II. *pag.* 40. et *pag.* 60.

(35) De hac quaestione videantur ea, quae ad Pyretologiam suam praefatus est SELLE.

lio propulſam; aeſtiva febre imperante, omnes quoscunque morbos ſub potestatem bilioſi popularis redactos, nonniſi vi ipſius fracta, vincendos; nervoſum denique vulgare vitium vides, mulierculas hyſtericas et hypochondriacos viros exercens ſaepe inflammationem mentitum et aegro et medico inſidias ſtruens, aut verae phlogoſi junctum artifici difficultatis plurimum allaturum. Nec tamen huic imponet, ſin epidemicam diatheſin neglexerit. Jure igitur ſummo Doct. GRANTIUS, vanam esſe ſpecifica aut panacea, quaecumque inveniendi ſpem, quae cum morborum nomini, non naturae respondeant, alio tempore utilia forſan, alio erunt nocentisſima, nec innocuum esſe illorum errorem, qui ſystemati cuidam, aut vulgari ſe addicunt methodo, morbisque nomine ſimilibus, nulla temporum ratione habita, eandem ſemper medicinam faciunt (36).

Cum autem medici non tantum ſit, morbos ſanare, verum etiam praevertere, hique vario tempore vario rerum communium regimine praeverti debeant, et ab hac parte hanc temporum et conſtitutionum notitiam commendatam voluit HUXHAMUS. „ Non ſolum, „ ſic habet in prolegomenis ad *Obſerv. pag.* 23, in morbis cu„ randis plurimum valet atmoſphaerae conſideratio, ſed ad ſanita„ tem etiam tuendam maximi est momenti. Contraria contrariis „ curantur, ut in adagio est: ſic, ſi ver frigidum et ſiccum est, „ pleuritide, peripneumonia, angina periclitamur: qui vero di„ aeta humectante utuntur et potione tepida laxante, vitio tem„ pestatis occurrunt, morbosque evadunt ut plurimum. Si fri„ gori autem accedat humidi multum, cardiaca quaedam admis„ cenda ſunt corpusque vestibus muniendum est probe, ne perſpira-

(36) *Lib. de febribus Introd. pag.* 18. *Ed. Belg.*

„ ratio inhibeatur nimis. Aeſtuoſa contra udaque temperies ſiccam „ omnino et adſtringentem poscit diaetam, vinum auſterum „ aqua frigida dilutum, denique quae et vim fibrarum compri- „ mentem firment et a ſanguine lentorem ac putredinem arceant. „ Balneum porro tunc frigidum idoneum est maxime. Quae con- „ tra humore nimio et tepore pollent, aliena ſunt prorſus; „ jurulenta ideo tunc vitanda ſunt et tepida muliercularum ſorbi- „ tio." Et *praefat.* ad *Vol. alt. pag.* 5. „ Ad mala autem ſiccae „ et frigidae tempestatis praecavenda (imo et tollenda) utendum „ est multa diluente, emolliente, tepida potione victuque molli „ et relaxante, neque unquam ante progredi quis debet, quam te- „ pidum aliquem potum adſumſerit, ſive pedibus, ſive equo „ eundum est contra ventos aquilonares; at ſi inhorrescat aliquis „ inde ac febricitet, mittendus est actutum ſanguis, potisſimum „ ſi thoracis aut lateris dolor impetat, idque ſane mox repeti de- „ bet, ſi febris invalescat. E contrario humida tepidaque atmo- „ ſphaera relaxat nimium, vim vaſorum enervat, ſanguinem de- „ bito ſolutiorem, pituitoſum, inertem facit, totumque corpus „ humidum, hebes, languidum, febribus lentis, putridis, in- „ termittentibus longis obnoxium. Hic ergo contraria prorſus „ diaeta atque medicina est adhibenda, quae ſolidas corporis partes „ firmare, quae fluidorum craſin conſervare, quae valide com- „ pingere globulos ſanguineos posſint, indicantur. Potus nempe „ ſubauſterus frigidus, generoſus, victus valentior deſiccans, ad- „ ſtringens, balneum frigidum ejusque generis alia (37). Caete- „ rum haud parum inſalubris est gelidus humidusque atmosphae-

„ rae-

(37) *l. l. pag.* 6.

„ rae ſtatus, multis quippe modis obest, praecipue frigidos in-
„ ſinuando in corpus humores atque perſpirationem inhibendo plu-
„ rimum. Bene tunc nobis cingendum est vestibus, luculento
„ etiam foco, debitoque vitae regimine, ab algidis vaporibus
„ quantum posſibile cavendum est, omnibus denique modis per-
„ ſpiratio est promovenda, inter quos frequens totius corporis
„ frictio ad ignem confert plurimum, nec non exercitatio quoti-
„ diana eaque paulo fortior (38). Sed et hic quoque ratio ven-
„ torum habenda est plurimum, atmoſphaeram quippe maxime
„ mutant: Boreas nimirum ſiccam, frigidam, ac ponderoſam fa-
„ cit: Auſter vero humidam, levem, atque tepidam: magnam
„ adeo vim habent loca reddendi ſalubria vel inſalubria, et diverſo
„ plane modo adſiciuntur incolae hoc perflante vel illo vento. —
„ Qui frigidis ergo laeduntur et ſiccis, humectare, ac tepida ſub-
„ inde potione fovere corpora debent, qui humidis ſiccare; ſem-
„ perque peculiari aëris inclementiae, victu, regimine atque me-
„ dicina obſiſtendum est (39)."

De variolis obſervatum est, iis ſemel tantum homines corripi (40). Quas cum ab epidemici morbi conſortio pravos mores inducere et anomalas ac rebelles fieri vidisſent medici, de morbo tunc temporis in corpus inducendo, ubi nullum vel ab anni tempestate, vel ab epidemico quodam immineret periculum, cogitare coepe-runt.

(38) *l. l. pag.* 7. (39) *l. l. pag* 9.

(40) Aliquando tamen accidisſe legimus, ut, qui variolis jam antea laboraverant, ſecunda vice hunc morbum paterentur. De qua re ingenioſa nobis, nec improbabilis videtur SPRENGELII opinio, illud nonniſi ſub variis Epidemiis fieri potuisſe, ita ut, quemblioſa Epidemia imperante exercuisſent variolae, iis ſub Epidemico nervoſo iterum corripi posſet (mutata ſcilicet corporis natura ejusque quae dicitur praediſpoſitione). *Pathol.* II. §. 403. *pag.* 478.

runt. Nec ſpem fefellit eventus; atque increbruit inde variolas inſerendi conſuetudo. Ob has autem, quas memoravimus, rationes in variolarum inſertione prophylactica multas cautelas obſervandas esſe docuerunt Auctores. Ita ſumma cura vitandas esſe inſalubres aëris conſtitutiones, in quibus morbi maligni exanthematici aut putridi vagari cernuntur, BURSERIUS monet, quia ſcilicet timor est, ne pravam morborum epidemicorum aut ſtationariorum naturam variolae quoque ſequantur, aut cum iis complicentur (41). De temporibus autem, hyemem et ver, ſi ea tempora fuerint, qualia oportet, prae caeteris variolas ſinceras ferre ſuique moris et indolis bonae tenaces testatur STOLLIUS (42). Quoniam vero ab eo tempore, quo omnem corporis ad hunc morbum proclivitatem variolis vaccinis tolli compertum est, quae inoculationem ſequi ſolet affectio, levis est adeo, ut morbus dici vix posſit, in harum inſertione non tot cautelas obſervandas esſe inter omnes conſtat. Interea prudentis medici est, quas infaustas ac inſalubres noverit tempestates, quantum poterit evitasſe, ne forſan mitisſimum morbi genus a populari ſocio corrumpatur et malignum fiat.

Paucis jam vidimus, quis ſit doctrinae uſus ad pleniorem morborum cognitionem, ad eorum therapiam, ad futurorum praeſenſionem, ad eam denique medicinae partem, quam diaeteticam recentiores vocant. Verum ne haec quidem hanc de doctrinae utilitate quaestionem abſolvunt, cum ad ipſam artis historiam quam latisſime pateat.

Quisquis medicinae fata diligens pervolverit, miſeram hominum ſor-

(41) *l. l. V.* II. *c.* IX. §. 289. *pag.* 308. (42) *l. l.* P. II. *pag.* 159.

ſortem deplorabit, qui, cum in hoc brevi vitae curriculo tot tantisque aegritudinibus cruciantur, a male fida arte ſalutem exſpectant, ac augurum cuidam genti valetudinis curam committunt, qui, quos ſanare deberent morbos, parum cognoscere videntur. Namque tanta ipſis medicis est opinionum disſenſio, ut in ſimilibus morbis disſimillima, imo oppoſita remedia commendata ſummisque encomiis celebrata legantur. Nunc enim hoc, nunc illo medicinae genere praecipue uſos fuisſe artis magiſtros discimus. Hos venam incidendam esſe, refrigerantia danda, ſanguinis nimios motus compescendos, nimiam vitalis principii efficaciam ad naturae modum reducendam esſe praecipientes audimus; alios, alio tempore, quascunque aegritudines ab humorum corruptela et vitiata ſanguinis craſi repetendas esſe; hanc ſepſin antiſepticis et alexipharmacis esſe praevertendam; iterum alios genus nervoſum imprimis turbatae ſanitatis crimine accuſandum esſe, ab eo ſpasmos concitari et motus convulſivos, unde et febres et multiplices in quibusvis humani corporis partibus turbae commodam interpretationem habent, hos autem motus incompoſitos haud felicius moderari, quam ſedante medicina atque antiſpasmodica; alios denique in digeſtionis officina maximorum malorum cauſam latere, hanc emeſi aut catharſi expellendam esſe, ab hac vero neglecta, ſaepius non tantum quamplurima exanthemata, verum id ipſum, quod in morbis malignum dicitur, repetendum esſe. Haec cum legant in eam plerosque adducunt opinionem, ut incertam esſe ac vagam hanc artem putent, quam, qui profitentur, temere nulloque conſilio rem gerere, ita ut ſi qui graviori valetudine detenti e periculo evadant, fortunam magis, quam medicum ſalutis auctorem habere oporteat. Quae etiamſi de multis forſan

ve-

vere praedicari posſent, de omnibus illud adfirmasſe temerarium judico et minime aequum. Num quidem in gravisſimos illos veritatisque amantisſimos, quorum ſupra mentionem fecimus, ſcriptores ulla aut erroris aut malae fraudis ſuſpicio cadere potest? Igitur ad ipſam artem haec pertinent? Minime; naturae haec, ſi qua est, imputanda culpa. Inde enim mutabilis illa medicinae facies, cum varia ſit quovis tempore hominum valetudinis ratio. Vita namque aut justo incitatior, aut languidior, ejus motus in hac illave parte facilius turbandi, nervorum ſenſus vel mobilior, vel difficulter movendus, vaſorum robur vel auctum, vel imminutum, humores craſi aut copia a ſanitatis modo deflectentes, hae aliaeve mutationes, quibus corpus humanum obnoxium est, prouti harum alterutra praevaleat, vulgarem quandam affectionem inducet, ſuam medelam postulantem, ab hac mutata mutatam et ipſam.

Hanc legem epidemicam qui tenuerit, non ille medicinae fidem denegaverit imprudens, aut ſummos quosque de genere humano optime meritos artis magiſtros comtemnendos ac deſpiciendos esſe iniquus judicaverit. Verum intacta ipſi atque integra erit HIPPOCRATIS et eorum omnium auctoritas, quicunque ſola naturae quaeſivere judicia. Hujus legis notitia imbutus ſummos ex omnibus, quos legerit, ſcriptoribus fructus percipiet. A SYDENHAMO discet, quaenam phlogisticae Epidemiae natura, qui mores, quae potestas, quo pacto quibusque armis hanc adgrediatur natura et ars naturae imitatrix. Hunc STOLLIUM docebit bilioſae ſebris historiam et regna et remedia. Hic HUFELANDI et recentioris aevi ſcriptores libros perleget, ut nervoſorum affectuum indolem noscat et varium ac mutabile ingenium, quibusque auxiliis ingentes inde concitatae turbae ab artiſice quam optime componantur. Hac

doctrina duce scriptores nec male intelliget, nec interpretabitur male, probe gnarus, quas de medendi arte foverint opiniones, sicubi his nostris temporibus minus verae videri possint, id ipsorum aetati tribuendum esse et morborum, quos viderant, ingenio epidemico, verissimae probaturae, ubi similis erit rerum conditio. Nec damnandum ideo SYDENHAMUM putabit, quod et variolis et pesti medicinam antiphlogisticam fecerit, aut STOLLIUM culpandum credet, quod tantus fuerit in emeticorum et gastricae, quam vocant, methodus laudibus celebrandis; utraque enim auxilia petebat temporum, quibus artem faciebant, ratio, verum damnandos et culpandos quammaxime male sanos posteros optimo suo jure judicaverit, qui non ad horum virorum exemplum naturam secuti sunt ducem, atque ab illa, quid prosit, quid noceat didicere, ast Sydenhamianam et Stollianam medicinam ad tempora morbosque non suos adcommodandam esse opinati sunt.

Quae cum ita sint, utilissimam esse hanc rei epidemicae doctrinam vere praedicari posse crediderim, utpote quae et cum vera sapientia medica quam arctissimo vinculo nectitur, et ab ipsa naturae observatione petita ad fidam medendi scientiam ducit, ingenuo homine dignam, illiberali isti empiricorum rationi prorsus dissimilem. Hanc legem igitur discat, quicunque salutarem aegris medicinam facere cupiat. Hanc enim qui cognoverit, si quam fidem habeant Coi verba, non multum in arte aberrabit.

CON-

CONSECTARIA CIRCA USUM DOCTRINAE IN REGIONE NOSTRA.



I. Regio noſtra depreſſa, paludoſa, minus ſalubris. Aëris conſtitutio humida plerumque, cui ſive frigus, ſeu calor jungitur quaeque magnas ac crebras viciſſitudines patitur.

II. Autumnalis aëris diatheſis in noſtra regione praevalet.

III. Hinc morbi autumnales in hac regione endemii.

IV. Hujus loci natura acutis minus quam lentis et chronicis morbis respondere videtur.

V. Intermittentes tertianae et quartanae praeſertim pertinaces ac ſanatu difficiles frequentes.

V. Ob temporum inconſtantiam morbi inconſtantes ſaepe, inaequali tenore currentes et difficiles judicatu, rariores manifestae criſes. Etenim ex Oraculo Coo in conſtantibus temporibus, ſi tempestive tempestiva reddantur, conſtantes et judicatu faciles morbi fiunt, in inconſtantibus autem inconſtantes et difficiles judicatu. HIPPOCR. *Aph.* 8. *Sect.* III.

VII. Annuae Conſtitutiones propter magnas et crebras temporum viciſſitudines non certa quadam, aut conſtanti ratione ſibimet invicem ſuccedunt, ſed crebrae ſunt et temporum et Epidemiarum annuarum anomaliae.

VIII. Nullo tamen jure inutilem inde hanc Conſtitutionis obſervationem quis dixerit, quin imo ipſa incerta haec et varia temporum ratio majorem requirit in obſervatore medico diligentiam.

IX. Inter Epidemias annuas frequentes catarrhales five fimplices, five gastrico, aut nervofo, aut putrido vitio junctae.

X. Nec rarae quoque in nostris terris febres nervofi generis & putridi.

XI. Imprimis vero frequens nervofa morborum complicatio.

XII. Rarisfimi nostra in regione morbi vere inflammatorii.

XIII. Quapropter phlogisticum morborum ingenium, quale SYDENHAMUS defcripfit, hic fere numquam obfervatur, atque exanthemata popularia veram inflammatoriam febrim raro fociam habent, faepius vero nervofam, aut putridam.

XIV. Biliofa Conftitutio, quam ftationariam vidit STOLLIUS, et nostra in regione adulta aeftate et autumno primo obfervari folet et ftationaria fubinde fuisfe videtur.

XV. Febres gastricae ab impedita perfpiratione frequentes; frequentes etiam morborum per intestina crifes.

XVI. Quoniam magnae fint aëris mutationes, plurimis morbi fiunt ab impedita perfpiratione. Haec itaque nobis vernali praecipue et autumnali tempore, quo mutationes illae majores et crebriores esfe folent, fumma cura promovenda est.

XVII. Utilisfima igitur et in nostris terris epidemicae hujus legis notitia atque anni temporum et conftitutionum obfervatio.

T A N T U M.

T H E S E S.



I.

Plantarum germinatio terrae ſtimulo promovetur.

I I.

Plantis verum ſenſum tribui poſſe negamus.

I I I.

Diſtinctionem vitae organicae et animalis, cujus auctor est Cel. BICHAT, defendimus.

I V.

Sanguinis, quam vocant, oxydationem frigore promoveri contendimus.

V.

Minus recte KANTIUS, frequentiorem eſſe pulſum hominibus polaribus, quam regionum calidarum incolis adfirmaſſe nobis videtur.

VI.

V I.

Perperam ROUSSEAU: „ Je ne dispute donc pas que la médécine „ ne ſoit utile a quelques hommes, mais je dis qu'elle est fu- „ neste au genre humain."

V I I.

Errant, qui putent, animi dotes a corporis ſtructura aut viribus facultatibusve proficiſci, easque ex hisce intelligi atque interpretari posſe opinantur.

V I I I.

Animi commotiones nobis et naturales et utiles esſe videntur.

BIJ DE

OPENLIJKE BEVORDERING

VAN MIJNEN GELIEFDEN

BROEDER

C. VAN DER HOEVEN,

TOT DOCTOR IN DE GENEESKUNDE.



Broeder! 'k heb geen tuil te hechten
  Aan uw' ſchoonen lauwerkrans;
Deed de kunst mij ze immer vlechten,
  Zij ontzegt haar bijſtand thans:
Als de taal van 't hart moet ſpreken,
Is der kunsten taal en teeken,
  Tooi en opſchik 't hart te koel:
Kunstloos, wars van lof behalen,
  Ver van ijdel woordenpralen
Is de taal van 't warm gevoel.

ô! Dat blijde tweetal jaren,
  Broeder! neen, vergeet ik niet,
Toen wij dáár te zamen waren,
Waar ik zooveel nut mogt garen,
  Waar ik zooveel Vrienden liet!

Strevend langs verſcheiden wegen,
Was ons beider doel toch één;
Beider wensch was beider zegen,
Beiden lot- en hartgemeen.
ô! Die uren dáár geſleten,
Broeder! zal ik nooit vergeten,
Nooit, wat ik in Leyden vond!
Ach! vervlogen zijn die dagen,
Dat we ons dáár verbonden zageń zagen:
't Lot ontrukt mij Leydens grond.

Doch het heilrijk dagend heden
Brengt ons nogmaals daar bij één;
't Heden voert nog ééns mijn' treden,
Trekt nog eens mijn hart er heen.
Ja! de dagtoorts is ontſtoken,
Die uw hoofd met lauw'ren kroont,
En de ſtond is aangebroken,
Die U ruimer werkkring toont!

Heil dan, Broeder! Heil dan heden,
Nu de bouwtijd is verleden
En het uur des oogstes ſlaat!
't Is het loon, door vlijt verkregen,
't Is een oogst van rijken zegen
Die U thans te wachten ſtaat!

Ed'ler loopbaan ſtaat U open,
Schooner doelwit wacht U af:
Moedig dan het pad geloopen,
Dat U God te loopen gaf!

Edel doel! Loſwaardig ſtreven!
Voor het lijden ſlechts te leven —
Heeler van der kranken pijn;
Lot, naar waarde nooit geprezen:
Werktuig in Gods hand te wezen,
Redder onder God te zijn!

Zie die moedertranen vloeijen,
Die haar kindjes wieg beſproeijen,
Ras een prooi van 't gulzig graf:
Doch de Vader uit den hoogen
Doet door U die tranen droogen,
Weert door U dien rouwkreet af.
Zie hoe daar, aan 's egâ's ſponde,
De echtgenoot vertwijf'lend treurt;
God! wie heelt die diepe wonde,
Die het jamm'rend hart verſcheurt?
Neen! — de wond is niet geſlagen,
Die te diep een dolkſteek waar:
Gij moogt beider troost doen dagen,
Gij hergeeft hen aan elkaâr!

ô! Wat onbeseft genieten,
Als de dankb're tranen vlieten
Voor hun' redder en hun' troost!
Beiden kwam uw hulp te ſtade,
En de gâ dankt U zijn' gade,
En de moeder U haar kroost.
Hooger zal dat danklied rijzen,
Hooger U, den redder, prijzen,
Bij den God van al wat leeft.
Is uw weg eens afgelegen:
Boven wacht U rijker zegen,
Zegen, dien geen Wereld geeft!

ABM. DES AMORIE VAN DER HOEVEN,
Theol. Stud.



